UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# D. Ioannes Evangelista. Rodolphi Gvaltheri Tigurini in Euangelium Iesu Christi secundum Ioannem Homiliæ CLXXX.

**Gwalther, Rudolf**

**[S.l.], 1568**

**VD16 W 1038**

18. Perfide Iuda venis ? prosternitur impia turba. Qui modò pugnabas, postmodò Petre negas. Examinant Christvm, respondens vapulat, inde Sistitur inq[ue] domo præsidis Ausonij. Quærit hic an Rex sit ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-71827

Visual Library

# CAPVT XVIII.

## HOMILIA CLV.

HÆc cum dixiſſet Ieſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introiuit ipſe & diſcipuli eius. Nouerat autem eum locum etiam Iudas, qui prodebat eum: quia frequenter Ieſus conuenerat illuc cum diſcipulis ſuis. Iudas ergo cùm accepiſſet cohortem, & à Pontificibus & Phariſæis miniſtros, uenit illuc cum laternis & facibus & armis.

IESVS Chriſtus in mundum venit (ſicuti Paulus ſcribit) vt peccatores ſaluos faceret. Quia verò humanum genus partim horrendis errorum & ſuperſtitionum tenebris immerſum, partim propter peccata morti æternæ obnoxium erat, duo potiſſimùm ad illam redemptionem requirebantur. Primò enim doctrina opus erat, quæ verã Dei & voluntatis ipſius notitiam nobis traderet. Deinde ſacrificio, quo peccata expiarẽtur, per quæ miſeris nobis ſatan dominabatur, & quæ mortis atq; damnationis ſempiternæ vnica cauſa nobis erant. Vtrunq; verò ad ſacerdotis functionẽ pertinebat, & ideo Meſſiæ promiſſo ſcripturæ paſſim ſacerdotis perſonam tribuunt. Vtroq; autem officio Chriſtus fideliter & probè functus eſt. Nam vt vidimus hucuſq;, in docendo diligens & aſſiduus fuit, & doctrinam ſuam ſignis atq; miraculis infinitis confirmauit, vt diuinam & cœleſtem eſſe probaret. Reſtabat alterũ, quod in ara crucis perfecit, in qua ex nobis aſſumptam carnem & ſanguinem Deo patri pro nobis obtulit, & quod legales victimæ nõ poterant hucuſq; præſtare, vnico hoc ſacrificio ſemel oblato peccatũ mundi ſuſtulit, & (vt Apoſtolus ait) vnica oblatione in perpetuum et perfectè conſecrauit eos, qui ipſum vera fide amplexi ſanctificatos: & quia ſacrificij huius meritum atq; effectus perpetuò durat, iteratione nequaquã opus habet. Eam verò hiſtoriæ Ieſu Chriſti partem nunc Ioannes orditur, & quàmuis multa prætereat, quæ ab alijs euangeliſtis iam deſcripta eſſe ſciebat, diligentiſſimus tamen eſt in ijs commemorandis, quibus noſtra redemptio imprimis nititur. Noſtrum autem fuerit finem & vſum omnium eorum, quæ hîc facta ſunt, ſemper ob oculos habere, vt ijs ad vitæ inſtitutionem et fidei noſtræ confirmationem vti poſſimus. Cogitemus ergo hæc omnia propter nos facta eſſe, quorum peccata aliter expiari non potuerunt. Nam Apoſtolo teſte, ſine ſanguine non fit peccatorum remiſſio. Non proderat autem pecudum ſanguis, quæ olim ex legis præſcripto offerebatur: ſed potius nos peccatores eſſe, et peccatorũ expiatione opus habere docebant. Neq; etiam inter homines inueniebatur, qui pro peccatis aliorũ ſatisfaceret, cùm eodem reatu omnes tenerentur. Ergo Dei filium ex æterno patris decreto hominẽ fieri oportuit, vt ſeipſum pro nobis offerret, & ſui corporis ſacrificio peccata noſtra expiaret, quæ nos à Dei gratia & regni cœleſtis hæreditate excludebant. Itaq; noſtrum negotium hîc agi cogitemus, & nobis accommodemus, quæcunq; Chriſtum vel feciſſe vel paſſum eſſe audimus. Quod tunc cõmodiſſimè fiet, ſi primò ex his diſcamus de peccatis noſtris iudicare, quæ atrocia & cũprimis horrenda eſſe oportet, quando non aliter quàm indigna morte filij Dei expiari potuerunt. Eſt hic magnus ad veram pœnitentiam & tuendam vitæ innocentiam ſtimulus. Qui enim de hoc ſeriò cogitant, ij profectò non poſſunt non vitæ anteactæ flagitia deteſtari, & ijdem ſolicitè cauebunt, ne vel in eadem ſcelera relabantur, vel alijs ſimilibus aut etiam grauioribus locum dent, neq; vnquam admittẽt peccati blanditias aut mundi huius illecebras, quæ nobis præcipua perditionis cauſa eſſe conſueuerunt. Rurſum ne iſtæ cogitationes nos in deſperationem abripiant, ex altera parte immenſam & ineffabilem Dei miſericordiam agnoſcere diſcamus, qui nullo noſtro merito prouocatus, nos cũ filij iræ eſſemus dilexit, & tanta nos indignos commiſeratione proſecutus eſt, vt vnigenitum & dilectiſſimum filium potius ignominioſam & acerbam mortem ſubire, quàm nos in æternum perditos eſſe voluerit. Ex eo enim merito colligemus, impoſſibile eſſe vt ſibi iam reconciliatos abijciat, qui inimicos tãto amore complexus eſt. Facit præterea ad fidei noſtræ & religionis veræ inſtitutionem iſta conſideratio: vt nimirũ in ſolam

Vſus paſſionis et mortis Chriſti.

Dei

Dei gratiam & vnius Ieſu Chriſti meritum intenti, nihil admittamus, quod eius merito deroget. Adhæc illum ſuo exemplo nobis præiuiſſe cogitemus, vt diſcamus, quæ noſtra in terris hiſce ſors futura ſit, ſi in ipſo piè viuere velimus, vtq; nos in quouis tentationum genere geramus: de quibus omnibus cùm alibi ſæpe dictum ſit, ſufficiat nunc ea paucis perſtrinxiſſe. Accedamus ergo ad huius loci, quem modò recitauimus, tractationem, quo narratur, vbi & à quibus captus ſit Chriſtus, & quibus armis hoſtes fuerint inſtructi.

Locus in quo Chriſtus captus eſt.

De loco, vbi hæc geſta ſunt, ſic ſcribit Ioannes: Hæc cùm dixiſſet Ieſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipſe & diſcipuli eius. Connectit hac precationi, quam illum inter eundum habuiſſe audiuimus, & ſenſus eſt: Poſtquam Dominus diſcipulos ſuos primùm præceptis neceſſarijs inſtruxit, deinde verò eoſdem multis conſolatus eſt, & patris tutelæ tandem commendauit, mox in eum locum exiuit, vbi ſe ab hoſtibus ſuis capi debere ſciebat, & in eundem diſcipulos quoque ſuos eduxit. Eſt autem in loci huius deſcriptione admodum diligens Ioannes, eò quòd ſingulis ferè circunſtantijs, quæ hîc attinguntur, quædam inſunt, quæ ad noſtram faciunt inſtitutionem atq; conſolationem. Et primò quidem viam notat, qua illuc vẽtum fuit. Nam trans torrentem Cedron illum exiuiſſe ait. Erat autem Cedron vallis media inter vrbem & montem olìueti, quam torrens eiuſdem nominis perfluebat. Fit eius mentio alibi etiam in ſacris literis. Eundem enim Dauid etiam tranſiuiſſe dicitur, quando per Abſolonem filium regno eiectus in exilium abijt, & ei typo nunc veritas ipſa reſpondet. In eodem loco olim idola & ſuperſtitionis inſtrumenta combuſſerunt ſanctiſsimi reges, Aſa & Ioſias. Tranſit nunc eundem verus Dauid, Ieſus Chriſtus, quando eam mortem ſubire voluit, cuius merito totius mundi peccata expiari debebant. Adde his, quòd ibidem Titus poſtea primas aduerſus vrbem munitiones excitauit, cùm tempus illud fatale inſtaret, quo illam horribili excidio deleri oportuit, vt dignas ſcelerum & incurabilis contumaciæ pœnas exolueret. Eſt autem Cedron Hebræa vox, & obſcuritatem ſignificat: vnde veriſimile eſt huic loco ex vallis profunditate & arboribus ipſum obumbrantibus nomen iſtud obtigiſſe. Sed omnia hæc hiſtoriæ huius myſterio pulchrè ſeruiunt. Eſt enim vallis iſta typus mundi huius & præſentis vitæ, quam ferè vallem obſcuritatis & caliginis dixeris, eò quòd errorum, ſuperſtitionum, triſtitiæ & dolorum, denique malorum & calamitatum omnis generis plena ſit. Tranſit hanc Chriſtus vnà cum diſcipulis, vt ad montem olìueti veniat, quo gratiam Dei ſignificari ſcimus. Ita verò docet, omnibus qui in ipſo piè viuere volunt, per plurimas huius vitæ moleſtias & infinita pericula enitendum eſſe, vt ad regnum illud æternum perueniant, quod electis ſuis Deus ex mera gratia præparauit: quod tum fiet, ſi ipſum vera fide amplexi, peccatis moriantur, & ſeipſos Deo ſiſtant hoſtiam viuentem. Deinde admonet huius loci hiſtoria, quid eos maneat, qui ſæpius oblatas pœnitentiæ occaſiones negligunt, & inſuper ſalutis authorem Chriſtum improbè faſtidiunt. Neque enim ſine numine factum putabimus, quòd ab eo loco cœpit obſidio & oppugnatio vrbis, in quo tam illuſtria publicæ reformationis exempla pij reges olim ediderant, & quem ipſe etiam Chriſtus præ alijs frequentare ſolitus fuerat. Sic enim admonemur, impijs & contumacibus ea ferè exitio eſſe, quæ ſalutaria eſſe poterant, ſi illis vti dignarentur, & frequenter fit, vt tempus, locus & alia multa huius generis ipſorum impietatem arguant, & iuſtitiæ Dei teſtimonium ferant.

Ioſeph. de bello Iud. lib. 6. cap. 3.

Hortus.

Deinde hortum illic fuiſſe ſcribitur, nimirum ad montis olearum radicem. Reſpondet hoc etiam veteri typo. In horto enim paradiſi primus Adam peccauit, & ibi cœpit humani generis calamitas. In horto igitur noſtræ etiam redemptionis initium fieri oportuit, vt conſtaret Chriſtum verum eſſe redemptorem, qui non modò nos ſeruet, verumetiam eorum vſum nobis denuo conſecret, quæ nobis aliquando noſtra culpa exitij materia ſiue occaſio fuerunt. Et eſt hoc obſeruatu dignum propter eos, qui temere res per ſe bonas damnant, & omnium eorum vſum vetitum atq; illicitum eſſe arbitrantur, quibus aliquos in ſuam perniciem abuſos eſſe vident. Sed non oportet in bonas Dei creaturas hominum culpam reijcere. Abuſus eſt paradiſi delitijs Adam, & pomi vetiti iucundo aſpectu ineſcatus peccauit. Chriſtus autem horto bene vtitur ad preces & alia pietatis exercitia, & in eodem ſalutis noſtræ initium facit. Seruit ergo exemplum hoc inſtitutioni noſtræ, vt quoties hortos aut quoſcũq; locos amœniores ingredimur, non modò in præſentem conſpectum & iucundam rerum contemplatio-

nem intenti ſimus,ſed cogitemus interea,quid aliâs vel à nobis ipſis vel ab alijs in hoc aut ſimili loco factum ſit:& ita minus abutemur ijs,quæ nos ad peccandum allicere poterant.

Hortus Iudæ notus fuit.

Præterea locum hunc etiam Iudæ proditori notiſſimum fuiſſe Ioannes ſcribit, & huius notitiæ cauſam aſſignat,quòd Chriſtus frequenter eò cum diſcipulis conuenire ſolitus fuerit:nimirum vt & ipſos priuatim inſtitueret (quod illi in more fuiſſe ſcimus) & orationi liberius vacaret, quæ ſeceſſum & locos à publico ſtrepitu remotiores requirit:ſed et opus erat,vt aſſidua meditatione ſeipſum ad imminens ſibi certamen præpararet,ad quod loci conſpectus non parũ momenti afferre poterat. Nouerat ergo hortum iſtum Iudas ex familiari cõſuetudine,quæ ipſi admodum diu cum Chriſto intercesſerat. Portenti autem ſimile videri poteſt,quòd cùm illa ipſum ei arctius obſtringere deberet, ipſe ea ad prodendum Chriſtum abutatur,neq; eius loci conſpectu moueatur, in quo illum docentem ſæpius audierat,& precantem viderat. Sed non mouentur vllis rationibus,qui corruptis deſiderijs abrepti ſe totos ad impietatem deuouerũt:ex quorum numero Iudam fuiſſe iam ante vidimus. Illud potius hoc loco obſeruemus,nocentiſſimos Chriſti & eccleſiæ hoſtes fieri, qui huic aliquando amici & familiares fuerunt. Vt enim eius myſteria quodam modo deguſtarunt,ita norunt ferè qui primùm oppugnandi ſint,quibus vtendum artibus,& qua parte vires maximas adhibere oporteat. Exempla huius rei in hæreticis habemus,qui cùm eccleſiæ ſocietatem relinquunt, ferè horribiles turbas dant, dum ex ſcripturæ hortis decerptos flores ſophiſticis artibus contexunt,& infirmis fucũ faciunt, quorum multos ſuis dolis in errores abducunt. Et inter tyrãnos,qui olim eccleſiam perſecuti ſunt, nocentiſſimum fuiſſe ſcimus Iulianum,qui à fide defecerat. Sunt hæc nobis in eum finem obſeruãda,ne offendamur,ſi quid huius hodie fiat:neq; etiam attoniti miremur,ſi quãdo hæretici & impoſtores de ſ. dei myſterijs diſſerunt & ſcripturas allegant. Norunt enim hortos illos,& ſæpe in eos ingrediuntur, non vt Chriſtum & eccleſiam iuuent,ſed vt prodant:& ita fit,vt quæ per ſe ſalutaria ſunt, illis letifera fiant.

Chriſtus uolens moritur.

Præ alijs autem hîc obſeruari debet,quòd Chriſtus ſponte ſua mortẽ ſubijt:quod ex eo ſatis apparet,quòd à nemine alio vel coactus vel perſuaſus in eum locum abijt,vbi ſibi à Iuda inſidias ſtructas eſſe ſciebat,quas euadere aut ſubterfugere non liceret. Atqui illũ aliâs ſæpe fugiſſe & ſe abſcondiſſe legimus. Id verò tunc fecit,quando nondum erat hora mortis:nunc autem quando ea iam instabat,morti obuiam progreditur,vt patris voluntati ſeſe accõmodet. Id verò duas potiſſimùm ob cauſas factum eſt. Primò enim ipſius obedientia noſtram inobedientiam expiari oportuit,ſicut Paulus ad Romanos quinto Capite teſtatur. Deinde nobis exemplũ præbuit,cuius veſtigia ſectemur. Licet ergo,vt nos quoq; periculis & hoſtium inſidijs ſubducamus,quando nulla Dei vocatione vrgemur. At vbi hæc vrget,tunc per medios ignes & gladios curſum tenere ſatius eſt,quàm vel latum vnguem à Dei voluntate deflectere. Certum autem nobis ſit,nos ab ipſo Deo ad certamen vocari, quando in eas anguſtias redigimur, vt vel certum periculum ſubire,vel ab officio diſcedere oporteat, ad quod nos Deus deſtinauit.

Chriſtus quid in horto fecerit.

Porrò quid in horto fecerit Chriſtus,non ſcribit Ioannes,quia alij hoc omne deſcripſerant. Summa omnium eſt,quòd pro aſſumpta humanæ naturæ infirmitate cum mortis terroribus luctam grauiſſimam ſuſtinuit,quæ eò vſq; progreſſa eſt,vt ſanguinem ſudaret: in ea autem ad preces conuerſus eſt,quibus ſe totum patris voluntati ſubiecit,& ab eo per angeli miniſterium confirmatus victor euaſit. His verò prætermiſſis Ioannes de Chriſti hoſtibus ſermonem inſtituit,quos vnà cum ſuis armis & artibus ad hunc modum deſcribit: Iudas ergo cum accepiſſet cohortem,& à Pontificibus & Phariſæis miniſtros,venit illuc cum laternis & facibus,& armis. Quo loco Iudas primùm conſiderandus venit. Fuit is domeſticus Chriſti diſcipulus,cui familiariſſimum fuiſſe ex eo apparet,quòd ſibi ærarij curam ei commiſit. At idem nunc eorum dux ſiue anteſignanus eſt,qui Chriſtum occiſum & perditum volunt. Eſt hæc horribilis admodum mutatio. Sed tantum in illo potuit ſatan, poſtquam eius animum auaritia,omnium malorum radix,occupauit,ſicuti Capite vndecimo & duodecimo dictum eſt. Accidit hoc omnibus,qui diabolo penes ſe locum dãt,imprimis autem ijs,qui ſe totos auaritiæ manciparunt: quia impoſſibile eſt,vt quis Deo ſimul & Mammonæ ſeruiat. At quia de hoc alibi diximus,nunc ſedulam Iudæ induſtriam & indefeſſum in concepto ſcelere ſtudium obſeruare oportet,& cum illo aliorum diſcipulorum ſocordiam conferre. Nam etſi Chriſtus prius inter cœnandum

Iudas dux hoſtium Chriſti.

dum & poſtea in ipſo horto multa de morte ſua & imminenti periculo diſſeruiſſet, eosq́; ad vigilantiam & preces eſſet hortatus: non tamen ab eis impetrare potuit, vt vel vnius horæ ſpatio ſecum vigilent & tantillum temporis precibus tribuant. At Iudas non vigilat modò, ſed hinc inde diſcurrit, ſceleris miniſtros conquirit, occaſionem omnem diligenter obſeruat, ſuos præceptis inſtruit, ſignum dat ex quo Chriſtum agnoſcant, monet, hortatur vt prudenter & cautè rem gerant. Eſt hoc perpetuum, vt apud pios ſecuritas & ſocordia regnet, neq; vlla periculorum denuntiatione excitentur, eò quòd ex ſeipſis alios omnes æſtimant, & quia ipſi neminem lædere cupiunt, alios quoq; eodem animo præditos eſſe arbitrantur. Deinde cùm caro otium & quietem amet, difficulter ſeſe ad labores & curas honeſtiores excitari patitur. At longè alia eſt impiorum ratio. Hi enim deſiderijs prauis toti æſtuant, veritatis lucem oderunt, huius ſectatores oppreſſos volunt, neque ſe tutos aut ſaluos putant, niſi illi è medio tollantur. Nulla ergo penes illos pax eſt, nulla quies, ſed dies noctesq́; conſilia verſant cruenta, & pijs inſidias ſtruunt, neque vllam occaſionem negligunt, quæ illis opprimendis ſeruire poßit. Exempla in ſcripturis paßim occurrunt, inter quæ admodum memorabilia ſunt, quæ de Caino & Saule ſcribuntur. Hodie autem hoc ipſum experimur: & ea paßim cernitur ſecuritas, quam olim Satyricus poeta his verſibus notauit:

*Vt iugulent homines, ſurgunt de nocte latrones,*
*Vt teipſum ſerues, non expergiſceris? &c.*

Hoſtes Chriſti qui & quales.

Cæterùm videamus, qui & quales aduerſus Chriſtum conuenerint. Dicitur Iudas cohortem accepiſſe, & miniſtros à Pontificibus & Phariſæis, quos præcipuos huius Tragœdiæ actores fuiſſe conſtat. Sed diligentius de his Lucas ſcripſit. Aliquos enim ex ſacerdotibus & ſenioribus affuiſſe tradit, vnà cum templi præfecto, qui nimirum ſua præſentia reliquis animum adderent, & negotium hoc ſuo conſilio & authoritate iuuarent. Habuerunt hi penes ſe ſuos & aliorum ſui ordinis ſeruos. Ne quid verò priuata temeritate agere videantur, quod ſeditionis ſpeciem habeat, cohortem militum ſibi aſciſcunt, quam à præſide Romano illos petijſſe certum eſt, qui illic cum imperio erat, & militum præſidio ad ſeipſum & publicam pacem tuendam vtebatur. His verò omnibus ducem ſeſe præbuit Iudas apoſtata. Fuit autem inter hos magna dißimilitudo & ingens ſtudiorum, morum, & profeßionis diuerſitas. Conuenire tamen poſſunt aduerſus Chriſtum, eò quòd omnes impij ſunt & veritatis lucem ex æquo oderunt. Et quod hîc factum eſt, hodie etiam fieri videmus, vt in Chriſto & eccleſia eius oppugnanda conueniant, qui in cæteris omnibus dißident, aut etiam ſe mutuò grauißimè oderunt. Sunt hæc nobis in eum finem obſeruanda, vt & hoſtes veritatis agnoſcere diſcamus, & nihil ſpei aut fiduciæ collocemus in impiorum diſſenſionibus. Nam vtvt in reliquis dißideant, mox tamen conuenire poſſunt, quãdo de Chriſto & Euangelio opprimendo agitur. Plura vide, ſi lubet, in Marco noſtro Homil. 121.

Quibus armis inſtructi uenerint.

Poſtremò videamus, quomodo rem hanc agant, & quibus armis inſtructi veniant. Prius ſæpe cum Chriſto diſputationes inſtituerunt: & ita quidem fieri debebat, cùm de fide & religione, deque ſalutis ratione inter illos controuerteretur. Sed inſidioſæ erant diſputationes illæ, quibus non veritatis cognitionem, ſed huius opprimendæ occaſionem quærebant. Quia verò illis nihil proficere potuerunt, ad vim manifeſtam conuertuntur. Et primò quidem cum laternis & facibus veniunt, ne per tenebras vſpiam euadat, vtque tam ipſi quàm diſcipulis terrorem incutiant. Reliqui verò armis, gladijs nimirum & fuſtibus inſtructi ſunt. Et ſimulant quidem ſe iure & legibus vti, cùm hæc ex præſidis & Senatus, imò Concilij, authoritate faciant: ſed Chriſtus apud Lucam eos tenebrarum poteſtate pugnare ait, & proinde diabolo militare, qui princeps tenebrarum dicitur. Ita verò omnibus ſeculis aduerſus veritatem pugnatum fuiſſe conſtat, & non aliam rationem ſequuntur, qui hodie nobis propter fidem in Chriſtum negotium faciunt. Quàmuis autem iſti multa prætexant, ſuam tamen impietatem egregiè produnt, & quod ſibijpſis male ſint conſcij. Sciebant enim Chriſtum inermem diſcipulos ſimiliter inermes ſecum ducere. Ipſi tamen armis ſibi opus eſſe putant & integra militum cohorte, quæ apud Romanos militibus mille ducentis & quinquaginta conſtabat. Vnde verò hoc? Ex eo nimirum, quòd malè ſibijpſis conſcij omnia timent. Eſt hæc impiorum ſors, quòd etſi indomitum furiant, tamen conſcientiæ terroribus agitantur, & ab illis etiam ſibi timent, quos nullis



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*ad nocendum viribus inſtructos eſſe norunt. Et hæc cauſa eſt, quòd nullis iniurijs laceßiti cæco furore ruunt, & omnes eos extinctos volunt, quos abs ſe diſſentire vident. Non minus autem ſuam quoque ſtultitiam iſti produnt, quando Chriſtum armis opprimi poſſe putant, cuius diuinam potentiam toties erant experti. Faciunt ergo quod impios Chriſti hoſtes facturos eſſe, Dauid olim in Pſalmo ſecundo prædixerat: & ideò eas pœnas dederunt, quæ ibidem deſcribuntur. Nam etſi Chriſtum comprehenderint & in cruce ſuſpenſum occiderint, eiuſdem tamen ſceptrum ferreum non multò poſt ſenſerunt, quo vt vaſa fictilia comminuti ſunt. Eueniet idem omnibus, qui hodie illorum veſtigia ſequuntur. Sed de hoc in ſequenti Sermone locus dicendi erit commodior. Nunc diſcamus, neminem debere hoſtium veritatis conatibus & armis offendi. Viuit enim & regnat Ieſus Chriſtus, qui vt olim hoſtibus ſuis ſuperior euaſit, ita potenti manu eos protegit, qui ſalutis ſpem in ipſo collocatam habent, & ei ſoli ſeruiunt. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

## HOMILIA CLVI.

Ieſus itaq; ſciens omnia quæ uentura erant ſuper ſe, egreſſus dixit eis, Quem quæritis? Reſponderunt ei: Ieſum Nazarenum. Dicit eis Ieſus, Ego ſum. Stabat autem & Iudas qui prodebat eum, cum ipſis. Vt ergo dixit eis, Ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt humi. Iterũ ergo rogauit eos, Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Ieſum Nazarenum. Reſpondit Ieſus: Dixi uobis quòd ego is ſum. Si ergo me quæritis, ſinite hos abire: Vt compleretur ſermo quem dixerat, Ex ijs quos dediſti mihi non perdidi quenquam.

*ETſi Dei filium Ieſum Chriſtum in morte ſua extremè humiliari oportuerit, vt mundi peccatum, cuius præcipua cauſa fuit primorum parentum ſuperbia, expiaret: ita tamen hoc fecit, vt ſimul præclara ſuæ diuinitatis & inuictæ potentiæ indicia dederit, quorum vſus eſt duplex. Primò crucis ſcandalo medentur, ne humilius de illo ſentientes, eius promißiones atque doctrinam, adeoque vniuerſum noſtræ redemptionis negotium, in dubium vocemus. Deinde nobis quoque in afflictionibus conſolationem certam & efficacem afferunt. Vt enim hoſtes Chriſti non potuerunt obſtare, quo minus ille gloriam ſuam proferret, & tandem ipſa etiam morte ſuperior factus de omni aduerſariorum poteſtate triumpharet: Ita neque noſtram gloriam impedire aut obſcurare poterunt, quæ nunc cum Chriſto abſcondita, olim in magno illo die manifeſtabitur, quando ille in nubibus cæli veniet ad iudicandum, & pro Dei filijs, fratribus & cohæredibus ſuis nos agnoſcet, qui nunc omnium mortalium contemptißimi, & ipſi etiam Deo exoſi eſſe putamur. Et huc imprimis facit præſens hic locus, quo primus Chriſti cum hoſtibus ſuis congreſſus deſcribitur: in quo apparet, quàm efficaciter ſua potentia & diuina virtute vſus ſit, tam in ſternendis hoſtibus, quàm in liberandis diſcipulis, quos ſemel in ſuam fidem atq; tutelam ſuſceperat.*

Chriſtus hoſtibus obuiàm procedit.

*Primùm de ipſo Chriſto ſcribit Ioannes, quòd hoſtibus ad ſe capiendum emißis obuiàm progreſſus ſit, quàmuis ſciret omnia quæ ſibi euentura erant. Vbi rurſus apparet, illum ſua ſponte mortem ſubijſſe, nimirum vt patris decreto obediret. Dictum de hoc nuper, quòd eius obedientia noſtram inobedientiam expiari & (vt Daniel ait) iuſtitiam ſempiternam reduci oportuerit: quin & nobis exemplum reliquerit, cuius veſtigia ſequamur. Ad alterum hoc pertinet, quòd cum omnia ſciuiſſe dicitur, quæcunque eſſent euentura, nihilominus tamen ſe hoſtibus obuium dedit, ne propoſitum ſibi certamen vllo modo detrectare putaretur. Alia planè eſt noſtra conditio. Nam etſi interdum pericula magna nobis propoſita videamus, tamen quid tandem futurum ſit neſcimus: quia vult nos futura ignorare Deus, vt omiſſa curioſiori illorum inueſtigatione, in ſuam voluntatem intenti ſimus, noſque ad quæuis ſubeunda aut facienda præparemus. Peccant itaque in Ieſu Chriſti exemplum, quicunque omiſſo ſuo officio, cui ipſos Deus deſtinauit, futura curioſius inquirunt, nec*

quicquam ſibi faciendum putant, niſi de totius negotij euentu certiores facti fuerint. Falluntur hi plerunque ſuis rationibus, & dum plus ſapere volunt, quàm Deus reuelet, ferè inobedientes fiunt, ſibique ipſis grauiora pericula accerſunt. Quantò rectius Paulus Apoſtolus, qui cùm Hieroſolymis ſibi carceres & vincula parata ſciret, nec intelligeret, quis iſtorum omnium finis eſſet futurus, Chriſti tamen exemplum ſecutus, conſtanter eò perrexit, ne Deo ipſum vocanti reluctaretur.

Sed in Chriſti exemplo pergamus, qui vbi in hoſtium conſpectum venit, prior illos alloquitur, & intrepidus interrogat, quem quærant. Et ita hanc hiſtoriam deſcribit Ioannes, vt ſatis appareat, neminem illorum tunc ipſum agnouiſſe. Atqui multis antea de facie notiſſimus fuerat: nec eſt quòd tenebras nocturnas illis impedimento fuiſſe dicamus, cùm laternis & facibus inſtructos fuiſſe audiuerimus. Fuerunt ergo illorum oculi detenti, vt quem aliâs probè nouerant, nunc agnoſcere non poſſint. Tale quid Sodomæos olim paſſos fuiſſe Moſes ſcribit, quando Lothi domum oppugnare & angelis in ea diuerſantibus vim inferre voluerunt. Simile etiam huic eſt, quod inter Syros milites & Heliſeum contigiſſe ſacra hiſtoria tradit. 2. Regum ſexto. Quibus exemplis docemur, impios non ſemper poſſe, quod videntur poſſe, & Deum ferè per ludibrium conatus & conſilia eorum diſſipare. Facit autem ad amplificationem huius miraculi, quòd Iudas cum iſtis affuiſſe dicitur: qui & diſcipulus domeſticus & œconomus Chriſti fuit, nec tamen ipſe eum agnouit, & nunc ridiculum valde ſe præbet, qui paulò ante ſocios grauiter monuerat, ne quem alium prehenderent, quàm quem ipſe oſcularetur, & in eo deducendo cautos & prouidos ſeſe præberent. Eſt autem Iudas hic typus apoſtotarum, qui etſi prius aliquam habuerunt Chriſti & veritatis cognitionem, eam tamen facta defectione omnino amittunt, vt nihil planè videant ſiue intelligant, donec horribili iudicio Dei circunuenti & oppreſſi, ea in mentem aliquo modo reuocant, quæ prius ſecuri nimis contempſerunt. Docet hoc Iudæ infelix exitus. Qui enim fidas Chriſti admonitiones contempſerat, & ab illo ad improbos ſacerdotes defecerat, nunc illum coràm aſtantem, loquentem, imò efficaciter operantem non agnoſcit, neque vllis ſignis mouetur. Poſtea autem, quando in abyſſum impietatis demerſus Chriſtum capitis damnatum & Romano præſidi traditum eſſe videt, illum non modò de facie nouit, ſed eius admonitiones in mentem reuocat, ſcelus fatetur, & eius atroci atque immani pondere oppreſſus, ex deſperatione ſibijpſi mortem conſciſcit. Nihil ergo tunc profuit Chriſti cognitio ei, qui docentem, monentem, corrigentem noluit agnoſcere. Idem Iuliano accidit, qui cùm Chriſti cognitionem, quam habebat, impiè conculcauiſſet, poſtea nullam habuit amplius, & in ſua ignorantia ſecurus perrexit, donec conto transfixus ſenſit, quo cum ſibi res eſſet, & tunc demum dictum illud impium & deſperationis plenum euomuit: Viciſti Galilæe, viciſti. Accidit hoc ipſum hodie multis, quæ exempla nobis in eum finem ſeruire debent, ne in mundi huius gratiam à Chriſto ſeceſſionem faciamus, & agnitam veritatem abnegemus. Nam licet quidem nobis, quandocunque volumus, oculis occluſis, vel etiam apertis & videntibus, veritatem diſſimulare. Sed ſequitur ingratitudinem iſtam cæcitas & animi caligo triſtiſſima, quam ipſi pro noſtro arbitrio excutere non poſſumus: & ſi quæ lux nobis denuo affulgere videtur, ea non ſolatium, ſed conſcientiæ carnificinam parit, dum & ſceleris atrocitatem arguit, & Dei iuſtum iudicium nobis ob oculos ſtatuit. Fruamur ergo luce, dum eam nobis Deus ex gratia offert, & mox nos in illa proficere ſentiemus.

Hoſtes Chriſtū non agnoſcunt.

Quid verò coniuratorum cohors? Reſpondent, ſe Ieſum Nazarenum quærere. Videntur autem conſultò à conuitijs abſtinere, quô minus ſuſpecti ſint, & ne cui hunc cælandi aut abſcondendi occaſionem præbeant. Et ſolent frequenter impij veritatis odium & hoſtiles aduerſus hanc conatus aſtutè diſſimulare, vt quiduis potius aliud quàm huius oppreſſionem meditari videantur. Ita verò in naſſam trahunt incautos, qui tunc demum ſua capita peti ſentiunt, quando nulla euadendi via ſupereſt. Exempla huius generis noſtro ſeculo vidimus, quando qui iam inſtructos habebant exercitus, quibus eccleſias & in his ſonantem veritatem opprimerent, nihil tamen minus quàm hoc tentare volebant videri, donec omnia ad ſuum nutum parata viderunt. Quò magis nos aduigilare decet, ne noſtra ſocordia ipſas quoque eccleſias & veritatis doctrinam in periculum adducamus. Porrò quoad Chriſtum, non iam tempus erat declinandi periculum, ideò nihil diſſimulat,

Hoſtes Chriſti ſuum conatum diſſimulant & miraculoſè ſternuntur.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſed ſe eum eſſe fatetur, quem illi quærebant. Ipſi autem hoc audito, mox retrorſum abeunt, quaſi eius conſpectu territi fugã capere velint, nec tamen hoc conſilium illis ſuccedit, eò quòd tam animi quàm corporis viribus deficientibus ſupini concidunt. Elucet hîc rurſus euidens & irrefragabile Deitatis Chriſti argumentum, quod Diuus Auguſtinus obſeruans exclamat: *Vbi nunc militum cohors, & miniſtri principum & Phariſæorum? Vbi terror & munimen armatorum? Nempe vna vox dicentis, Ego ſum, tantam turbam odijs ferocem, armiſque terribilem ſine telo vllo percuſſit, repulit, ſtrauit. Deus enim latebat in carne, & ſempiternus dies ita membris occultabatur humanis, vt laternis & facibus quæreretur occidendus à tenebris, &c.* Voluit autem Chriſtus hoc facto primùm hoſtibus ſuis oſtendere, quo cum ipſis res ſit, & eoſdem planè inexcuſabiles reddere. Quid enim ſceleri ſuo prætexent, qui manus violentas in eum inijcere non ſunt veriti, cuius ſolo verbo ſeſe proſtratos ſenſerant? Deinde ſpecimen eius præberi oportuit, quod apud Iſaiam cap. vndecimo de Meſſia dicitur, qui terram virga oris ſui percuſſurus, & ſpiritu labiorum ſuorum impium interfecturus ſit. Adhæc generalis doctrina hîc proponitur, quid Chriſti hoſtes & omnes eos maneat, qui aduerſus eum cõiurare audent. Ferociunt illi ferè, & confidentia ebrij ſibijpſis quiduis pollicentur. Sed iidem velint nolint intra animos ſuos Chriſti virtutem humana maiorem eſſe ſentiunt, & ideò male ſibi conſcij trepidant. Quia verò nihilominus pergunt, ne manus dediſſe videantur, corruunt ferè in ſuis conſilijs, quorum infelicem euentum experiuntur, & cùm incurabili contumacia aduerſus Deum luctentur, ſempiterni quoque exitij ſibijpſis authores ſunt. Cuius rei exemplum memorabile olim in Saule præceſſit, qui etſi omnia conſilia ſibi infeliciter cedere videret, non tamen à perſequendo Dauide (qui Chriſti typum gerebat) deſtitit, donec ſeipſum miſerè perdidit, vt inuitus licet Dauidi regnum relinqueret. Secuta ſunt deinceps huius generis exempla multa in Romanis Imperatoribus, qui Chriſti eccleſiam perſecuti ſunt, & hodie ſimilia multa fiunt, quibus docemur, eos in puluerem & lutum ignominioſe proſterni, quicunque ſeſe aduerſus Chriſtum, Regem gloriæ, exaltant. Quid enim aliud expectent, qui cum ipſo Deo certamen ſuſcipiunt, cuius æternum decretum abolere conantur? Quod quàm periculoſum ſit, gentium etiam poetæ intellexerunt, ſicuti eorum fabulæ de gigantomachia teſtantur, quibus fortaſſis hiſtoria turris Babel initium dedit. Omnium verò bonorum vſus eſt, vt nos verbo Chriſti ſubijciamus, quo (vt Auguſtinus ait) quotidie adhuc clamat, Ego ſum. Docet enim ſe eſſe Dei filium, qui propter nos homo factus miſerum mortalium genus redemerit. Agnoſcamus ergo eum regem & ſacerdotem noſtrum, & illum timeamus, vt eius verbo ſalubriter proſtrati reſurgamus ad vitæ nouitatem, quam olim cœleſtis gloriæ felicitas comitabitur. Neque hîc nobis imponat, quòd interdum Chriſtus vires ſuas quaſi abſcondit, & ſuorum ſeruorum & ſui nominis immemor videri queat. Nam quandocunque ipſi viſum fuerit, potenti brachio vti poteſt, & olim in gloria patris ad iudicandum veniet, quando omnes homines ad eius tribunal ſiſtentur, vt in ſuis corporibus recipiant digna ſuis factis præmia. Semper ergo huius facti memoria animis noſtris obuerſetur, & cum D. Auguſtino dicamus: *Quid iudicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit?* Et ſi impij hoſtes ad vnicum eius verbum conciderunt, quo ſe Ieſum, id eſt, promiſſum illum humani generis ſeruatorem eſſe pronuntiauit abſq; omni comminatione, quid obſecro fiet, quando grauem illam & horroris plenam ſententiam intonabit: *Abite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius?* Matth. 25.

**Hoſtium Chriſti contumacia.**

Sed redeamus ad impiam hoſtiũ Chriſti cohortem, qui (quantum ex hiſtoriæ contextu colligere licet) proſtrati iterum exilierunt, & ne tunc quidem Chriſtum agnouerunt, cuius potentem manum experti fuerant. Habemus autem in illis exemplum eorum, qui plagis quoque non reſipiſcunt, vt ad Deum conuertantur: quales hodie multos paſſim eſt videre. Fit hoc ferè ijs, qui poſt oblatum ſibi & à ſe perceptum cognitionis Chriſti guſtum, hoſtibus eius ſeſe coniungunt, et præſentis ſeculi commoda futuris & cœleſtibus bonis præferunt. Quales fuiſſe ſacerdotum ſeruos ex ijs apparet, quæ Capite ſeptimo audiuimus. Cùm enim illic ad capiendum Chriſtum emiſſi in eius concionem incidiſſent, intra animos ſuos conuicti ſunt, vt illi apud ſuos heros præclarum ferrent diuinæ veritatis teſtimonium. Attamen ijdem ventris ſtudium ſecuti non diſcedunt ab eorum ſeruitio, & illis ſuam operam denuo locant contra Chriſtum. Itaque iuſto iudicio Dei excæcantur, vt nunc manum quoque illius potentem non agnoſcant, & ex plagis deteriores fiant. Obſeruemus autem in his, quàm horri-

bilis pœna ſit excæcatio & induratio, qua Deus impios ſuos hoſtes vlciſcitur. Solet enim malum hoc rationem & cõmunem ſenſum in hominibus extinguere, vt brutis animalibus ſtupidiores fiant, qui creaturas omnes excellere debebant. Etenim agnoſcunt aurigarum flagella equi, & boues ſtimulis incitantur vt opus facere pergant, et (quod Germanico prouerbio dicitur) aſini ab ijs itineribus abhorrent, in quibus aliquando cũ periculo lapſi ſunt. At qui prauis cupiditatibus habenas laxarunt, & ideò Dei iuſto iudicio excæcati ſunt, ij neq; flagella Domini agnoſcunt, neq; vllis aduerſæ fortunæ ſtimulis mouentur, & ſi millies corruant, ad eundem tamen lapidem perpetuò offendunt. Talem olim Pharaonem fuiſſe legimus. Tales etiam fuerũt Saul, Achab, Zedechias, cum multis alijs, quorum impiam & malitioſam contumaciam ad hunc modum Deus puniuit. Et tales hodie multos videmus in religionis negotio, qui etſi ſe falſos eſſe multoties ſenſerint, ſuperſtitiones tamen mordicus retinent, & ſcientes volentes ſeducuntur. Idem multi quoad mores & vitæ conſuetudinem faciunt. Quàmuis enim egeſtate, fame, morbis, bellis, exilio & infinitis alijs plagis proſternantur, & proſtrati iudicium Domini agnoſcant, vt primùm tamen reſpirandi facultus datur, ad priora ſtudia redeunt, & (vt Paulus de improbis & impoſtoribus ſcribit) indies in peius proficiunt. Caueamus ergo peſtem hanc, & in tempore cedamus Deo, ne incurabiles facti nobiſipſis exitium accerſamus.

Porrò Dominus, vbi hoſtes exilijſſe videt, iterum interrogat, & rurſus ſe illis cognoſcendum præbet, vt minus habeant excuſationis. Quaſi diceret: An adhuc me ignoratis? annon ſentitis vos ab eo proſtratos eſſe, cuius virtus antehac in multorum curatione & ſanitate eluxit? Vel num adhuc neſcire lubet, quo cum certamen ſuſceperitis? Sed age quando ita lubet, facite quod vultis. Attamen ſi me quæritis & mei capiendi cauſa tanto cum apparatu veniſtis, à diſcipulis hiſce meis manus abſtinete, & ſinite eos abire. Et hoc vno dicto diſcipulos defendit, ne quid mali patiantur. Eſt hoc nouum miraculum, priori non minus aut inferius, quo docemur, Chriſtum tam potentem eſſe in ſuis defendendis, quàm potens & ſeuerus eſt in puniendis hoſtibus. Et quia illi in ipſos hominum animos & voluntates imperium eſſe videmus, eundem Deum verum eſſe conſtat. Eſtque hoc diuinæ potentiæ argumentum eô luculentius, ſi cogitemus, quàm exoſi illis hominibus diſcipuli fuerint, & quòd Petrus (vt ſuo loco audiemus) illis nouam & grauem admodum in ipſos ſæuiendi cauſam præbuit. Attamen occulta Chriſti virtute detenti, nihil in eos hoſtiliter tentant. Cauſam verò huius rei Ioannes allegat his verbis: Vt compleretur ſermo quem dixerat, Ex ijs quos dediſti mihi, non perdidi quenquam. Sunt hæc deſumpta ex oratione, quam in præcedenti Capite habuimus. Non ineptè autem ad corporis & vitæ huius periculum transfert Euangeliſta, quod illic de animarum perditione dictum fuerat. Quia enim tunc temporis infirmiores adhuc erant diſcipuli, quàm qui tam duris certaminibus ſufficere poſſent (ſicuti in Petri lapſu videbimus) non tam corporis quàm animæ periculum ſubituri erant, ſi eos nunc in certamen deduxiſſet. Itaque ſalutis eorum rationem habuit Dominus, quos à patre ſibi datos eſſe ſciebat. Subeſt tamen hîc aliquid etiam profundioris myſterij, cuius conſideratio ad fidei noſtræ doctrinam facit. Oportuit enim Chriſtum ſolum capi & mori, vt palàm conſtaret, illi ſoli deberi omnem noſtræ redemptionis gloriam. Obſeruauit hoc Diuus Cyrillus, cuius verba recitare libet, vt veteris eccleſiæ in hac doctrina conſenſum audiatis: Vnum mori oportuit ſufficientem pro vita omnium redemptionem: vt & mortuorum & viuorum imperium acciperet. Ne quis illud ridiculum verum eſſe putaret, Apoſtolorum mortem ad deſtructionem interitus aliquid contuliſſe: cum liberatis enim ab interitu etiam Apoſtoli iure connumerantur. Vnius enim nobiſcum illos fuiſſe naturæ conſtat, in quos imperium mors ſuum exercuit. Solus ergo qui ex viuo patre eſt, pro vita omnium carnem tradidit ſuam, quæ poſt mortem, coniunctam ſecum verbi vitam ſecuta, viam nobis dedit, qua mortis laqueos poſſimus ſuperare, &c. Vides in his, quàm procul ab ijs abfuerint veteris eccleſiæ doctores, qui hodie Diuorum cœlitum meritis ſalutem noſtram adiuuari clamant, & eo argumento ſuperſtitioſum illorum cultum tuentur. Interim boni etiam paſtoris officio hîc fungitur Chriſtus, quem ſe Capite decimo profeſſus eſt: quando non oues primùm lupis obijcit, ſed ipſe pro ouibus ſeſe tradit, vt iſtæ ſeruentur. Imitentur hoc exemplum non miniſtri modò eccleſiarum, verumetiam principes, quos antiquitus paſtores populorum dictos fuiſſe ſcimus. Quo affectu olim Dauid præditus, Dei manum in ſe & ſuam domum conuerti, populo autem ſuæ fidei commiſſo parci cupiebat. Seruit præte-

Chriſtus ſe hoſtibus tradens diſcipulos liberat & tuetur.

rea multùm conſolationi noſtræ huius exempli conſideratio. Primò enim videmus, quanta ſit Chriſti capitis & regis noſtri potentia, cuius vnicum dictum diſcipulos ſeruare & ſceleratas hoſtium manus continere potuit. Defendit eadem olim patriarchas, quando Chananæorum animis intonuit: Nolite tangere vnctos meos, &c. Pſalmo centeſimo quinto. Et eiuſdem virtute hodie etiam hoſtes terrentur, vt præter animi voluntatem ab affligenda eccleſia abſtineant. Sed non minus conſolationis aduerſus tentationes conſcientiæ nobis locus iſte ſuggerit. Qui enim in præſenti diſcipulos noluit periculis grauioribus obijcere, ne ſalutis iacturam facerent: idem nunquam non noſtræ infirmitatis rationem habet, neque nos ſupra vires tentari ſinit. Si quid ergo grauioris periculi imminet, ne dubitemus, illum vires ſubminiſtraturum eſſe, & iam modum quoque nouiſſe, quo nos ſeruet. Deinde vt rata fuit ea precationis Chriſti pars, qua Apoſtolorum ſaluti conſuluit: ita non minus ratum & efficax erit, quòd patri ſuo commendauit omnes eos, qui Apoſtolorum doctrinam ſecuti in ipſum credunt. Et qui paucorum in tali tempore (vt Cyrilli verbis vtar) curam habuit, quomodo innumerabiles fideles non proteget? Hæc meditemur hodie ô fratres, quando pericula vndique imminent: & fortes ſimus in Chriſto Ieſu, qui ſuos perire non ſinit, quos ſanguinis ſui pretio redimere dignatus eſt. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

## HOMILIA CLVII.

Simon autem Petrus cùm haberet gladium, eduxit eum, & ferijt pontificis ſeruum, & abſcidit auriculam eius dextram. Erat autem nomen ſeruo Malchus. Dicit ergo Ieſus Petro: Immitte gladium tuum in uaginam: Annon bibam poculum, quod dedit mihi pater? Itaque cohors & tribunus ac miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum, & uincierunt eum. Et abduxerunt eum primùm ad Annam: erat enim ſocer Caiaphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiaphas is, qui conſilium dederat Iudæis, quòd expediret unum hominem mori pro populo.

EVangeliſtæ in deſcribenda mortis Ieſu Chriſti hiſtoria non modò quid ille paſſus ſit, narrant, verumetiam quid interea fecerint illius diſcipuli: quorum egregiè facta nos imitari conuenit, cauere autem vitia & errores, quos vel confidentia ſua decepti vel periculorum metu ſuperati commiſerunt. Inter ea autem, quæ ad montem Oliueti in horto geſta ſunt, primas tenet, quòd Chriſto cum mortis terroribus luctante ipſi dormierunt, & neque ſeria Chriſti adhortatione, neque periculi imminentis denuntiatione ſeſe ad preces & propriæ ſalutis ſtudium excitari paſſi ſunt. Eſt hoc carnis ingenium, vt Chriſto in membris ſuis periclitante dormiat, & aliorum pericula facilè contemnat, dummodo ſibi bene ſit, & otio priuato conſulere poßit. Quod hodie in nobiſipſis ſimul & multis alijs experimur: quorum exempla nobis in eum vſum ſeruire debent, vt neque nobiſipſis neque vlli hominum fidamus nimiùm, ſed ſalutis ſpem omnem in vno Chriſto collocemus, qui nunquam non pro noſtra ſalute excubat. Cæterum vt diſcipulos improuiſus Iudæ & militum aduentus excitauit: ita plerunque fieri ſolet, vt verberibus & ſubitaneis periculis excitentur, qui fidas Dei admonitiones aliquandiu neglexerunt. Quod ſi fiat, agnoſcamus paternam Dei manum, & vel tunc ſurgamus ex luto peccatorum, vt in ferenda cruce illi fidum obſequium præſtemus. Sequitur nunc in Ioanne noſtro, quid factum ſit, quando hoſtes vndique circunfuſi Chriſto manus inijcere cœperunt. Quo loco exemplum priori contrarium opponitur: vt nimirum nimia alacritate & confidentia peccauerint, qui prius nimiùm ſocordes & ſomnolenti erant. Quod cùm etiam nobis frequenter contingat, diligenter ſingula inſpici debent, vt quid potiſſimum caueri debeat, diſcamus.

*Primus hîc Petrus prodit, qui pro Chriſto in pugnam deſcendiſſe dicitur. Quod etſi zelo inconſiderato fecerit, non defuerunt tamen cauſæ, quæ illum mouerunt, vt affectui ſuo indulgeret. Primò enim Dominum in Cœna dicentem audierat: Qui nō habet, vendat tunicā ſuam & emat gladium. Quia ergo ille extra pugnam nullum alium gladij vſum nouit, affectui & zelo ſuo accōmodat quod Chriſtus dixerat, ad exprimendam periculi imminentis magnitudinem. Deinde aliorum diſcipulorum exemplo videtur excitatus fuiſſe, qui (vt Lucas ſcribit) irruentibus vndiq; hoſtibus exclamarunt: Domine, feriemus ne gladio? Tunc ergo Petrus, qui reliquis ſuapte natura feruentior erat, & inter cœnandum plus alijs promiſerat, ſibi properandū putauit, ne quis alius ipſum præueniret: & ita non expectato Chriſti reſponſo in arma ruit. Potuit etiam ei animum addere Chriſti dictum, quò hoſtibus mandarat, vt diſcipulos illæſos & intactos dimitterent. Ex eo enim colligit, officij ipſorum eſſe, vt viciſsim illum ex hoſtium manibus eripiant. Proſilit ergo ad pugnā magno animo cum tota militum cohorte & ingenti ſeruorum turba congreſſurus. Quod ſanè magnum eſt ardentiſsimi erga Chriſtum amoris argumentum: at quia carnis zelo ducitur, nec quid Chriſtus velit ſpectat, ridiculus eſt admodum conatus tanti euentus. Infelici enim Pontificis ſeruulo auriculā ſolam abſcindit, à Chriſto autem grauiter obiurgatur, & qui nunc ita feruet, paulò poſt ad ancillulæ vocem territus Chriſtum turpiter abnegat.*

**Petrus pro Chriſto pugnat**

*Admonemur itaq; hoc exemplo, quò nos abripiat carnis zelus per ſe bonus & pius, niſi illum diuinæ voluntatis & noſtri officij recordatio moderetur atq; gubernet. Fuit enim Petrus (vt modò dictum eſt) amantiſsimus Chriſti, & omne hoc ex zelo bono atq; ſancto egit. Et ſi factum ipſum conſideres, nulla defenſio iuſtior & ſanctior cēſeri poterat, quàm quæ pro Chriſti gloria & vita ſuſcipitur. At quia carnis affectui ſe totum permittit, multiuariàm peccat. Primò enim diuinæ voluntati reluctatur, de qua illos toties admonuerat Dominus, & quantum in ipſo eſt, olim promiſſam humani generis redemptionē impedire ſtudet. Deinde ad eundem lapidem iterum offendit, quando nunc maiori cum audacia facit, cuius nomine aliquando acerrimè fuerat à Chriſto obiurgatus. Qui enim alibi verbis ſolummodo eum à cruce ſubeunda deterrere inſtituerat, & ideo ſatan fuerat dictus, nunc manu quoq; illum retrahere, & ex mortis periculo armis aſſerere conatur. Adhæc gladio vtitur cōtra leges, & quidem contra magiſtratū ſuum, quod à ſeditionis crimine nō procul aberat: & eo facto hoſtium calumnias confirmat, qui Chriſtum multa aduerſus Romanum Imperiū ſeditioſè moliri dicebant. Præterea Chriſto inobediens eſt, dum omiſſo eo quod ille mandauerat, & quod ſine periculo poterat fieri, facit quod nō iuſſus fuit à quoquam, & quod cum periculo maximo erat coniunctū. Neq; ſe ſolum periculo obijcit, ſed diſcipulos ſimul omnes ſecū in diſcrimē adducit. Quid enim aliud quàm horribilis omnium illorum cædes exſpectari poterat, niſi Dominus occulta ſua virtute hoſtium rabiem cohibuiſſet? Interim omnibus hiſce nō aliud agit, quàm quod partim riſum meretur, partim reprehenſione dignum erat. Tales ſunt etiā hodie, qui in religionis cauſa carnis zelo ducuntur. Nam in ipſo limine (quod dici ſolet) impingunt, dum crucem omnem procul repellere ſtudent, & ita Deo ſeſe opponunt, qui per hanc carnis noſtræ ſocordiam & petulantiam caſtigat, & ſimul in nobis triūphat. Multa item contra leges & ius publicum faciunt, & ita turbarū & ſeditionum authores ſunt, propter quas euangelij doctrina malè audit. Et dum magno cum periculo tumultuantur, interim quæ magis neceſſaria magisq; tuta ſunt negligunt, & ſine quibus ſalus noſtra non conſiſtit, vtpote verbi diuini ſtudiū, pænitentiā, preces & quæcunq; ſunt alia huius generis veræ pietatis exercitia. Deniq; publicis malis cauſam præbent, quibus homines rudes & rerum imperiti præter ſuam culpam implicantur, & ſæpe cum fortunis omnibus miſerè pereunt. Quibus accedit, quòd dum ſucceſſu infeliciori vtuntur, & ipſi ferè inter pericula turpiter deficiunt, & ſimul Chriſti cauſam impiorum ludibrijs exponunt. Sunt hæc omnium ſeculorum exemplis confirmata, & vtinam non multa paſsim fierent, quæ hiſce fidem facere poſſunt. Diſcamus ergo carnis conſilia ſuſpecta habere, & non indulgere affectibus per ſe bonis & pijs: ſed in Dei voluntatem reſpicere, quæ nobis omniū actionum vnica regula eſſe debet. Fit enim frequenter, vt opus quidem in ſe bonum & ſanctum ſit, peccetur autē in agendi modo, & nō ſemper in loco & tempore fit, quod tempeſtiuè factum laudem aliquam mereri poterat.*

**Carnis zelus quid faciat.**

*Sed Malchum quoq; videamus, cuius auriculam dextrā Petrus ferro abſtulit. Fuit is ſummi pontificis ſeruus, & ideo præ alijs in capiendo Chriſto ſedulam operā nauauiſſe videtur, vt hero ſuo*

**Malchi auricula abſcinditur.**

rem gratam faceret: quæ fortaſsis cauſa fuit, quòd hunc primum Petrus petendũ putauit. Et quam-
uis hic præcipiti et inconſiderato affectu feratur, vt modò diximus, non tamen ſine certo prouidentiæ
diuinæ cõſilio fit, quòd ea potiſsimùm corporis parte Malchus mulctatur. Solet enim Deus eas quoq;
actiones moderari & ad certum finem dirigere, quas nos temere ſuſcipimus, vel etiam fortuitas pu-
tamus: quod ipſum hîc etiã accidiſſe, res ipſas docet. Adumbratur enim in hoc exemplo, qui ferè eo-
rum mores & ſtudia ſint, qui ſeſe impiorum pontificum ſeruitio contra Chriſtum & veritatis doctri-
nam addixerunt, & quid ijſdẽ ferè accidere ſoleat. Feruent illi admodum induſtrij, & vt apud he-
ros ſuos, quos ſibi pro Dijs adorandos propoſuerunt, magnam gratiam ineant, nihil non agunt, quo
Chriſtum in verbo & membris ſuis vinciri & opprimi poſſe arbitrantur. Et quia plerunq; ſcientes
peccant, dum eos defendũt quorum impoſturas, libidinem & flagitia nefanda probè cognita habent,
& inſuper propriæ conſciẽtiæ teſtimonio nequicquã arguuntur, dextris auribus illos mulctat Deus.
Erat autem auris in Lege obedientiæ ſymbolum, vt alibi dictum eſt. Amittunt ergo illi obedientiæ
piæ & ſalutaris ſtudium, & in ſenſum reprobum traditi, ipſum quoq; Dei verbum vel non audiunt,
vel non dextris auribus amplius audiunt, ſed ſiniſtris. Nam malitioſo veritatem oppugnãdi ſtudio
abrepti, omnia ſiniſtrè accipiunt, bene dicta in malum ſenſum detorquent, & calumniandi occaſio-
nem in ijs quærunt, quibus ad pietatem erudiri poterant, ſi prauos ſuos affectus exuerent. Fit hoc ho-
die in multis, qui conciones ſacras ſtudioſè deuitant, ne quid ſuis cupiditatibus contrarium cogantur
audire, vel etiam ex ijs peiores diſcedunt, & nouas odij flammas concipiũt. At quia extra Dei ver-
bum nulla animarum medicina reperitur, tales omnino pereant oportet, niſi ſuam manum illis ad-
moueat Chriſtus, & ſuo ſpiritu aures menteſq; eorum aperiat. Præterea Iudaici populi conditionem
ſimul hoc exemplo ſpiritus ſanctus adumbrare voluit. Debebat is Deo ſeruire in libertate ſpiritus,
& in verum legis ſenſum reſpicere, qui Chriſtum veræ libertatis authorem monſtrabat. Sed plerique
ſacerdotum traditionibus irretiti & in ſeruitutem redacti erant, adeò vt in ſolam literam intenti
externa modò ſacra obirent, in illis ſolis hærerent, adeoq; ſigna pro rebus acciperent, quæ hic figura-
bantur: quam ſeruitutem animæ miſerrimam eſſe Auguſtinus ſcribit. Has ergo ſeruiles aures ſpiri-
tuali gladio, id eſt per euangelij prædicationem auferri oportuit, vt excuſſo pontificum & falſæ do-
ctrinæ iugo ad Legis finem, Ieſum Chriſtum contenderent. Quod in multis factum fuiſſe ſcimus, quo-
rum mentes poſtea Chriſtus ſuo ſpiritu ad fidei obedientiam attraxit, qua ſola Deo placere poſſu-
mus. Et quod in illis factum eſt, in omnibus fiat oportet, quicunque Chriſto ad ſalutem frui volu-
Quoad enim aures impiorũ pontificum traditionibus præbemus, nullus apud nos veritati locus.
Non tamen illos excuſsiſſe proderit, niſi ſimul Chriſtum admittamus, qui ſuo verbo nos erudiat, &
ſpiritus ſui virtute nos totos ſibi vendicet, vt in eius obſequium intenti ſimus.

Chriſtus diſcipulos pugnantes reprimit.

Porrò ipſum Chriſtum de Petri facto pronuntiantem audiamus: vbi ante omnia obſeruari de-
bet, quòd qui hoſtibus mandauerat, ne quid mali diſcipulis inferrent, nunc hos quoque in officio conti-
net, vt à vi & iniuria ſibi temperent. Exigit hoc iuſtitiæ & æquitatis lex, quam minimè ſequuntur,
qui ipſi quidem à nemine lædi volunt, cùm ipſi omnibus moleſti ſint, & quoſuis obuios omni iniuria-
rum genere aduerſus ſeſe irritent. Rectè ergo & prudenter Chriſtus Petri conatum reprimit, et pri-
mò illi dicit: Immitte gladium in vaginam tuam. Et apud Matthæum præcepto huic rationem ad-
ijcit: Omnes enim qui gladium acceperint, gladio peribunt. Quo dicto nõ abrogat ius gladij & magi-
ſtratum politicum. Is enim gladium non priuato affectu arripit, ſed à Deo traditum geſtat, ſicut
Paulus ad Romanos capite decimo tertio multis docet. Ad præſens ergo Petri factum & quæ huic
ſimilia ſunt, hæc verba referri debent, & inde generalis doctrina colligi, quòd neque apoſtoli & ho-
rum ſucceſſores gladio pugnare, neque priuati homines illum ex priuatæ vindictæ cupiditate arri-
pere debeant. Quia enim regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, nequaquam etiam mundi armis pro-
pagatur, & vt Paulus in poſteriori ad Corinthios ſcribit, arma militiæ noſtræ ſpiritualia ſunt. Sci-
mus quidem principes eccleſiæ nutritios & protectores à Deo conſtitutos eſſe, & hunc frequenter il-
lorum authoritate & armis ad illius defenſionem vti (quemadmodum Dauidis, Ezechiæ, Macha-
bæorum, Conſtantini item, Theodoſij & ſimilium exempla teſtantur) ſed nunc nobis de eccleſiæ mi-
niſtris ſermo eſt. Habent hi gladium ſpiritus ſibi à Chriſto traditum, quo poſtea felicius multis pu-
gnauit Petrus, & quo apoſtoli ſimul omnes infinita millia Iudæorum & gentium ad Chriſti obe-

dientiam

dientiam adduxerunt. Eodem hodie etiam pugnent, quicunq; in eccleſiæ miniſterio cum laude & fructu verſari volunt. Quoad verò priuatos homines, debent illi iure & legibus agere aduerſus eos, quos ſibi intolerabiles eſſe ſentiunt. In eum enim finē Deus iudicia publica conſtituit, ne priuatæ vindictæ licentia pacem publicam turbet & confuſionē inducat bonis omnibus exitialem. At ſi Petrus meritò reprehenditur, qui pio & ſancto zelo deceptus pro Chriſto pugnauit, cui omnes homines ſuam vitam & ſanguinem debent: quid obſecro de Romanis pontificibus dicemus, qui cùm Petri ſucceſſores haberi velint, omni armorum genere & bellis horrendis Chriſti verbum oppugnant, & in eius viſcera crudeliter ſæuiunt? Quid item de illis iudicabimus, qui vel cæcis affectibus abrepti cædes faciunt, vel mercenariam militiam ſecuti omnes propè terras ſanguine innocenti irrigant? Arripiunt iſti omnes gladium contra leges à Deo conſtitutas, & proinde rata in illis erit Chriſti ſententia, qua hîc Petri manum coercet.

Cæterùm aliam adhuc rationem Chriſtus ſubijcit, dicens: Annon bibam poculū, quod dedit mihi pater? Quibus verbis oſtendit defenſionem hanc iniuſtam eſſe, & cum patris voluntate pugnare. Poteſt enim eiuſmodi argumentum formari: Quodcunq; Deus ſtatuit, hoc patienter ferri, nō violenter reijci debet: At huius decretum eſt, vt in cruce moriar, & meæ mortis merito humanū genus redimam: Ergo huic me obedire cōuenit, tu verò aduerſus illud nihil tentare debes. Facit ad huius argumenti confirmationē, quod apud Matthæum addit: An putas quòd non poſsim nunc precari patrem meum, qui præſtet mihi plures quàm duodecim legiones angelorū? Quomodo ergo implerētur ſcripturæ, quæ dicunt quòd ſic oportet fieri? Debet hinc etiam generalis doctrina peti, ne ea ferre detrectemus, quæ nobis à Deo immitti certò cōſtat. Atqui huius generis ſunt quæcūq; nobis in huius vitæ curriculo accidunt. Docent enim ſcripturæ, nihil abſque certo diuinæ prouidentiæ conſilio fieri, & non dies modò vitæ noſtræ, verumetiam capillos numeratos eſſe. Ergòne (inquis) nefas fuerit in morbis pharmaca ſumere, famis tempore annonam conquirere, aut quando bella imminent, de hoſtium vi arcenda cogitare? Nequaquam ô fratres. Scimus enim hiſce medijs olim ſanctiſsimos quoſque vſos eſſe, neque temere iſta creauiſſe Deum, cuius voluntas eſt, vt noſtris vſibus omnia ſeruiant. Sed vocationis noſtræ ratio habenda eſt. Si enim impendentia nobis mala non aliter auertere poſſumus, quàm vt aliquid fiat à noſtra vocatione alienū, certò conſtat Deum velle vt iſta feramus. Huius ergo voluntati accommodemus nos, qui nos ſupra vires tentari nō ſinet, & tentationibus noſtris exitum dabit felicem atq; ſalutiferum. Facit autem ad huius rei conſiderationē, quòd Chriſtus crucem & quæcunq; hanc comitata ſunt mala, poculi à patre ſibi propinati vocabulo comprehendit. Eſt Metaphora hæc ſiue ſimilitudo frequens admodum in ſacris literis, & ex vulgi conſuetudine deſumpta eſſe videtur. Vt enim boni patresfamiliâs inter domeſticos ſuos potum cibumq; partiuntur, & ſingulis ſuum dimenſum diſtribuunt: Ita Deus vitæ huius caſus inter homines partitur, & ſingulis certa cum ratione imponit quod ferant. Multùm verò facit huius conſideratio ad conſolationem noſtram, ne nos impatientia vinci patiamur. Docet enim nihil nobis fortuitum accidere, nec iſtī hominum arbitrio eſſe vt nos affligant, ſed omnia noſtra certo Dei conſilio diſpenſari, qui pro ſua voluntate nobis plus aut minus infundit. Et huc reſpiciens Chriſtus, poculū hoc ſibi à patre datum ait, neque aliquam Iudæ aut ſacerdotum mentionem facit, quorum miniſterio Deus vtebatur. Sic Iob non in Chaldæos & reliquos latrones reſpexit, ſed in vnum Deum, quando dicebat: Dominus dedit, Dominus abſtulit, &c. Quod vnum ſi probè conſideretur, omnes murmurandi & quiritandi cauſas procul è medio tollit. Quis enim adeò impudens & temerarius fuerit, vt aduerſus Deum grunnire, & huic litē intentare audeat? Magis tamen in fide confirmabimur, ſi Deum hunc patrem eſſe cogitemus, & omnia ad ſalutem noſtram dirigere. Ergò quàmuis interdum amaras potiones nobis miſceat, non tamen nos perditos cupit, ſed fidos medicos imitatur, qui acerbioribus pharmacis morbos grauiores curare conſueuerunt. Vt verò ijdem amara dulcibus temperant, quoad eius fieri poteſt: Ita Deus quoq; læta triſtibus miſcet, & cum afflictionibus conſolationes auget, ne nimio pondere depreſsi ſuccumbamus. Quoties ergo morbis diuturnis & lentis excruciamur, vel pro fide Chriſti exilium ſuſtinemus, vel cum rerum inopia & fame colluctamur, aut etiam inter media mortis pericula ſumus conſtituti, ſemper nobis hoc Chriſti dictum occurrat: Annon bibes poculum, quod dedit tibi pater? Vtinam verò huius ebrioſi meminiſſent, qui vbi ſua intemperantia ſibijpſis

Chriſtus patris decretum allegat.

*morbos,egeſtatem & calamitates alias accerſiuerunt, ferè illa indigniſsimè ferunt, & de nimio Dei*
*rigore conqueruntur. At cur nõ ex ſuis moribus quid facto opus ſit colligunt? Inciuile illis videtur,*
*ſi qui combibonibus ingentia vini pocula propinantibus morem gerere detrectent. Qua ergo ratione*
*ijdem Deo reſponſant, & ogganniunt,quando hic ex ſuo penu illis lentos podagræ cruciatus,acutiſſi-*
*mos calculi dolores,capitis vertiginẽ,lippientes oculos,infeſtam ſcabiem, hydropem fœdè fluentem,*
*egeſtatem & alias huius generis plagas propinat? Cogitent potius,Deo plus in ipſos iuris eſſe,quam*
*ſcelerum ſocijs: & ſi his obtemperarunt noxia propinantibus, multò magis Deo parendum eſſe,qui*
*ipſorum ſaluti conſultum cupit,& ideo iſta propinat, vt ad mentem meliorem ipſos reuocet.*

*Tranſeamus nunc ad alteram huius loci partem,qua narratur, vt Chriſtus in hoſtium manus*
*peruenerit,qui captum vinctumq́ abduxerunt. Eſt in ea Ioannes breuior, eò quòd ab alijs diligen-*
*ter deſcriptam ſciret:quia tamen hîc multa continentur, quæ nos in fide inſtituere,in periculis item*
*de rebus agendis admonere & ſimul conſolari poſſunt, vtile fuerit, ſi huius loci hiſtoriam ex ordine*
*per ſingulas eius partes inſpiciamus:quorum ſcilicet opera Chriſtus captus ſit,quid illi fecerint,qua-*
*lem hîc ſe geſſerit interea,& ad quos abductus fuerit.*

A quibus captus ſit Chriſtus.

*Quoad primum, Tribunus militum nominatur, qui ſummus poſt Præſidem in illis locis tunc*
*magiſtratus erat,& quem cum tota cohorte adfuiſſe nuper quoq; audiuimus,cui ſacerdotes ſuos quo-*
*que ſeruos adiunxerant. Addit his Lucas templi præfectum, quem magiſtratum à Romanis inſti-*
*tutum fuiſſe,in Marco diximus. Nunc iſta annotamus, vt Chriſtum ex magiſtratus authoritate*
*captum fuiſſe videas. Vbi mirifica ſacerdotũ aſtutia elucet, qui cùm ſuam cauſam agerent, ita ta-*
*men rem inſtituere potuerunt, vt in ſuas partes pertraherent Romanos magiſtratus,quos ipſi cane*
*& angue peius oderant,& omnem facti huius inuidiam in Chriſtum deriuarent. Solet hoc ipſum ho-*
*die etiam fieri. Scimus enim Pontifices & epiſcopos hoc vnum agere, vt principibus & regibus do-*
*minentur, veritatis verò doctrinam & eius miniſtros hoc tantummodo nomine perſequi, quòd eos*
*conatibus ſuis obſtare vident. Poſſunt tamen ijdem conſilia ſua eo aſtu cælare, vt principes horum*
*executores habeant,& illorum authoritate atq; præſidio ſubleuentur. Et hi ſunt oculi illi hominis,*
*quos Daniel Antichriſto tribuit. Iuſto autem Dei iudicio fit, vt qui huic parêre nolunt, illorum co-*
*natus ſeruiliter adiuuent,qui regna omnia ſuæ libidini ſubijcere inſtituunt.*

Quomodo captus ſit Chriſtus.

*Sed quomodo captus ſit Dominus audiamus, vbi illos negotiũ hoc ſummo ſtudio egiſſe patebit,*
*cùm omnes ſuam operã pro virili conferant. Prodit enim illum Iudas oſculo,quo inter ſalutandum*
*antiquitus vtebantur. Inſtant ſua authoritate ſacerdotes cum Tribuno militum & templi præfe-*
*cto. Reliqui omnes vndique circunfuſi,ne qua elabi poſsit,manus in eum inijciunt,nec contenti ſunt*
*illum comprehendiſſe,niſi vinculis quoq; conſtringant. Quod illos feciſſe apparet,partim vt ſamo-*
*roſi ſpeciem præ ſe ferret, & ita omnibus ſuſpectus fieret: partim quòd cura & diligenti cautione*
*opus eſſe Iudas monuerat,ne (quod ſæpe alias factum fuit) ex manibus eorum euaderet. Ergo quam-*
*uis publica authoritate & armis inſtructi ſint, à Chriſto tamen ſibi adhuc metuunt, intra conſcien-*
*tias nimirùm ſuas conuicti: quod impijs perpetuum eſſe aliâs diximus. Eſt autem obſeruanda hoc*
*loco indigniſsima Chriſti ſors. Capitur & vincîtur malefici inſtar, qui neminem vnquam læſit,om-*
*bus autem benefecit. Interea non liberi modò oberrant, ſed in honore & pretio ſunt nocentiſſimi ho-*
*mines,qui carceribus & vinculis coerceri debebant: Quales erant ſacerdotes,qui doctrinam corrupe-*
*rant,templum in emporium commutarant,ſub religionis prætextu domus viduarũ deuorabant,&*
*ipſas quoque animas venenatis traditionibus occidebant. Accedebant his publicani & fænerato-*
*res, qui publicæ inopiæ in populo erant authores. Et vt apud Ioſephum legitur, iam tum oberrare*
*incipiebant ſicarij,qui in ipſa vrbe cædes faciebant. Adde his omnibus virginũ ſtupratores & adul-*
*teros,quorum numerus iampridem in immenſum excreuerat. Attamẽ impune his omnibus graſſan-*
*tibus ſolus Chriſtus dignus eſſe viſus eſt,contra quem omnes arma capiant, & qui inſtar nocentiſſi-*
*mæ beſtiæ vinculis & catenis conſtringatur. Quis verò hîc non agnoſcat noſtri ſeculi faciem? Nam*
*eſt hodie quoque mundus hic plenus impoſtorum, qui & Deo ſuum honorem eripiunt, & imperitos*
*homines improbè defraudant,& multis exitij authores ſunt. Graſſantur vbiq; milites mercenarij,*
*quibus quæſtus eſt ſanguinem humanum fundere, rapinis,incendijs & cædibus omnia vaſtare. Cre-*
*ſcit indies vſurariorum & monopolarum numerus, qui ex aliorum laboribus delitiantur atque ſu-*

perbiunt,

perbiant, imò publicorum motuum ſemina ſubinde iaciunt. Sunt præterea innumeri, qui ſtupris & mœchandi libidine domus quaſq; fœdiſſimè polluunt. At quis princeps aut magiſtratus illos ſupplicio dignos iudicat? Soli veritatis euangelicæ præcones, ſi iſta arguant & accuſent, digni putantur, contra quos publica authoritate omnes inſurgant, & quorum linguæ carceribus, vinculis & diris ſupplicijs frænentur, ne egregijs iſtis (ſi Dijs placet) viris maledicere pergant. Ita perpetuò ſuum ingenium mundus retinet, vt benefactores quidem ſuos odio proſequatur, hoſtes autẽ publicæ ſalutis in honore habeat. Imprimis autem vincolorũ Chriſti fructus conſiderari debet, quæ illum propter nos ſuſcepiſſe non eſt dubium. Vincierat omnes nos Satan, quando primos parentes nõ peccatores modò, ſed peccati ſeruos fecit. Ex his enim peccatum in omnem poſteritatem propagatum omnes homines quaſi captiuos conſtrinxit, vt ex ſemetipſis ne ad cogitandum quidem idonei ſint. Hæc ergo vincula ſolui oportebat, vt humani generis redẽptio fieret. Id verò Chriſtus præſtitit, qui vt peccata noſtra in ſe tranſtulit, ita his expiatis ſuæ mortis merito ſimul vincula iſta diſrupit, diabolũ verò conſtrinxit, eiuſq; vaſa (homines videlicet, quorũ opera ille abutebatur) vindicauit, & in libertatẽ veram aſſeruit. Hinc ergo conſolatio peti debet in tentationibus, quando certum eſt, nullam porrò condemnationẽ ijs incumbere, qui ſunt in Chriſto Ieſu. Simul verò officij noſtri meminerimus, ne tanto pretio partam libertatem iterum prodamus peccandi licentia: ſed in hoc ſimus, vt membra noſtra accommodemus Deo, vt iuſtitiæ arma ſint, quæ prius diabolo & iniuſtitiæ ſeruierunt: qua de re multis agunt ſcripturæ, Paulus imprimis ad Roman. 6. cap.

Chriſtus quid fecerit.

Quid verò inter hæc omnia Chriſtus? Poterat is facilè iſta prohibere, & inſuper hoſtes malè perdere, vt digni erant. Sed patienter fert, quæ ex patris decreto accidere ſciebat. Non tamen ideo conniuet ad illorum iniquitatem, ſed eam verbis grauibus arguit. Nam apud Lucam ait: Vt in latronem exiſtis cum gladijs & fuſtibus, cùm quotidie fuerim vobiſcum in templo, neque extendiſtis manus in me: ſed hæc eſt hora illa veſtra & poteſtas tenebrarum. Quod ipſum ſibi dictum putare debent, quicunque authoritate ſua veritatem & iuſtitiam oppugnant. Commutant illi à Deo inſtitutum magiſtratum in poteſtatem tenebrarum, & quia harum principi militant, cum eo quoque ſua ſtipendia accipient. Docet autem hoc Chriſti exemplum, non obſtare leges Chriſtianæ patientiæ, quò minus improbi arguantur, modò id ſine odio amarulento & vindictæ cupido fiat. Imitemur autem Chriſtum, ſi quid ſimile nobis accidat. Etſi enim à vinculis peccati & mortis æternæ liberati ſimus, reliqua tamen adhuc in nobis eſt naturæ corruptio, quæ quia frequenter erumpit, nouis vinculis interdum conſtringenda eſt. Vtitur ergo ad eam rem Dominus morbis, egeſtate, periculis improuiſis & varijs calamitatibus. Sunt hæc dura carni, ſed vincula ſunt ſalutaria, quæ ideo inijcit Deus, ne cum mundo pœnitere neſcio condemnemur. Simus ergo in his ferendis patientes. Quòd ſi verò propter Chriſti fidem nos vincîri contingat, tum nõ patientia modò, ſed gaudio & exultatione opus eſt. Qui enim nos vinculorum ſuorum ſocios facit, olim regni quoque ſui conſortes habere dignabitur. Sed & eos iſta conſolentur, qui propter ſcelera vincti ſuppliciũ luunt. Nam horum quoq; vincula Chriſtus conſecrauit, ne animarum ſaluti officiant, ſi ipſum fide amplexi verè pœniteant, & latronem imitentur cum illo crucifixum.

Chriſtus ad Pontifices ducitur.

Reſtat, vt videamus, quo illi Chriſtum abduxerint. Primò ad Annam, quod in tranſitu modò, & honoris ergò factum fuiſſe conſtat. Fuit enim hic quoque ex Pontificum numero, & inſuper (vt Ioſephus ſcribit) duos filios Pontifices habuit, Eleazarum atque Ionathanum, quibus quartus ex illa familia acceſſit gener Caiaphas. Fuit ergo illi ſpectaculum longè gratiſſimum, vinctum videre eum, cuius doctrina ſacerdotij iſtius quæſtus euertebatur. Ne tamen mora aliquid damni afferret, mox ad Caiapham tranſmittit, penes quem Concilium ſacerdotes coegerant, & ſuorum aduentum expectabant, quos ad Chriſtum capiendum emiſerant. Quo loco Caiaphæ deſcriptionem Ioannes ex Capite vndecimo repetit, non tam vt mortis Chriſti fructum & cauſam principalem nobis commendet, quàm vt oſtendat, ad eos abductum fuiſſe, quorum odia iam ſæpe expertus fuerat, & qui illum iampridem manifeſto præiudicio damnarant. At hîc rurſus indigna piorum ſors nobis inſpicienda proponitur. Quod enim Chriſto accidit, hoc membris etiam eius euenire ſolet. Paulus certè in priori ad Corinthios capite quarto de ſeipſo & reliquis apoſtolis loquens ait: Puto quòd Deus nos vltimos apoſtolos deſignarit tanquam morti addictos: nam ſpectaculum facti ſumus mundo, & angelis & ho

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

minibus. Neque hoc illum temere ſcripſiſſe ex ijs apparet, quæ illi cùm alibi tum maximè inter Iudæos acciderunt, poſtquam Hieroſolymus captus in Romanorum Præſidum manus peruenit. Paſſi ſunt idem reliqui etiam Martyres. Et hodie hoc ipſum multi patiuntur, quos ab extremis regnorum finibus impij hoſtes ad diuerſa tribunalia circunducunt, vt tandē in vrbibus illuſtrioribus crudele mortis ſupplicium ſubeant. Tunc verò pijs ipſa morte acerbius eſt, quòd ſe & cauſam ſuam eorum iudicijs ſubijci vident, quos aut huius prorſus ignaros, aut etiam hoſtes iuratos eſſe norunt. Sed tunc nobis Chriſti exemplū ſuccurrat, ne grauius æquo videatur, quod ille prior propter nos ſuſtinuit. Singulari autem conſideratione dignum eſt, quòd in Concilium ille abducitur, vt ibi publica totius eccleſiæ & populi Dei authoritate damnetur. Quod ipſum apoſtolis quoque euenturum Chriſtus prædixit. Obſeruemus hoc in eum finem, vt diſcamus non nimium tribui debere Concilijs. Olim quidem magnus illorum vſus fuit, quando Imperatores Chriſtiani illis intererant, qui epiſcoporum contentiones moderabantur, vt poſitis affectibus cauſæ cognoſcerentur, & ex ſcripturis iudicium fieret. At poſtquam Romani Pontifices omnem poteſtatem ſibi vendicarunt, nullum ab eo tempore Concilium habitum fuiſſe conſtat ipſis authoribus, in quo non noui errores in eccleſiam introducti, aut veteres confirmati fuerint, fructus autem & finis Conciliorum plerunq; fuit, quòd bellis ciuilibus aut exteris impliciti fuerunt, qui prius pace & otio fruebantur. Neminem ergo hæc larua decipiat, ſed in vnū Ieſum Chriſtum totis animis intenti, in eius fide conſtanter perſeueremus, qui pro nobis vinciri & mori dignatus eſt, vt nos ex errorum & ſuperſtitionum laqueis aſſerti, ipſi ſeruiamus in libertate ſpiritus, & olim cum ipſo in cælis vitæ regniq; æterni conſortes ſimus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

## HOMILIA CLVIII.

Sequebatur autem Ieſum Simon Petrus, & alius diſcipulus: diſcipulus autem ille erat notus pontifici, & ſimul introiuit cum Ieſu in aulam pontificis. Petrus autē ſtabat ad oſtium foris. Exiuit ergo diſcipulus ille alter, qui erat notus pontifici, & locutus eſt oſtiariæ, ac introduxit Petrum. Dixit ergo Petro ancilla oſtiaria: Num & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? Dicit ille non ſum. Stabant autem ſerui & miniſtri, qui prunas congeſſerant quia frigus erat, & calefaciebant ſe. Erat autem cum eis & Petrus ſtans & calefaciens ſe.

Cur Petri lapſus deſcribatur.

SPiritus ſanctus in ſcripturis non modò, quæ ab electis Dei ſeruis præclarè geſta ſunt, exponit, verumetiam eorundem lapſus & vitia commemorat. Id verò facit, non vt infames & contemptos reddat: ſed partim vt in eo appareat ſcripturæ ſacræ veritas: partim eò quòd lapſus eiuſmodi plurimùm ſeruiunt noſtræ inſtitutioni & conſolationi. Primò enim admonent nos de carnis infirmitate, ſimulq; excitāt, ne vel ſecuri nimis vel confidentiores ſimus, ſed aſſiduè vigilemus aduerſus diaboli inſidias, quibus nos circunuenire ſtudet. Deinde conſolationem nobis afferunt non vulgarem, quando ex his cōſtat, nobis ſi quando labimur, non aliud accidere, quàm quod olim ſanctiſſimis quoque accidit, quos Deus nihilominus clementer reſpexit, & ad ſe conuerſos in gratiam recepit. Adhæc [illegible] mam & modum pœnitentiæ nobis tradunt, quem tutò & vtiliter ſequi poſſimus. Et hæc quidem omnia in Petri lapſu habemus, quo ille Chriſtum Ieſum abnegauit. Accedit autē his omnibus aliud quoque imprimis memorabile. Confutantur enim hoc facto aduerſarij noſtri, qui Petrum eccleſiæ fundamentum eſſe contendunt, & Romanos Pontifices in cauſa fidei & religionis errare poſſe negant, eò quòd cathedram Petri occupent. Si enim eccleſiæ fundamentum eſt Petrus, illa cum eo corruerit oportet: quia fundamento euerſo ædificium conſiſtere nequaquam poteſt. At eccleſiam collabi impoſſibile eſt. Fundamento igitur alio nitatur oportet: eo nimirùm, quod Paulus vocat fundamentum prophetarum & apoſtolorum, qui eſt Chriſtus Ieſus, petra illa inuicta, aduerſus quam ne portæ quidem inferorum præualent, & ex cuius cōfeſſione Simon Petri nomen obtinuit. Quoad verò attinet ad ros illos, facilè cernitur, quàm impudenter Romanis Pontificibus tribuant, quod ne Petro quidem

ipſi contigit. Qui enim in præſenti Chriſtum abnegauit, idem poſtea quoque nimia Iudæorum obſeruantia deceptus non recto pede inceßit ſecundùm euangelij veritatem, & ideò à Paulo publicè & in faciem reprehenſus eſt. Sunt ergo cauſæ admodum graues, quæ Euangeliſtas mouerunt, vt hiſtoriam hanc ſingulari diligentia deſcripſerint. Et Ioannes quidem cùm quædam omittat, quæ ab alijs expoſita fuerunt, nonnulla vicißim interſerit, quæ alij prætererunt, & ipſas quoque abnegationes diligentius quàm reliqui diſtinguit. Ex his modò primam videbimus, cui multa inſunt, quæ diligentem conſiderationem merentur.

Occaſio abnegationis.

Orditur autem ab eo, quod abnegandi occaſionem Petro præbuit. Sequebatur (inquit) Ieſum Simon Petrus: quod illum eminus & à longè feciſſe Matthæus annotauit. In præſenti alterius etiã diſcipuli fit mentio, cuius nomen non exprimitur. At plerique veterum ipſum Ioannem fuiſſe ſentiunt, qui infra quoque capite vltimo ad eundem planè modum de ſeipſo ſcribit. Et veriſimile videtur quod illi ſentiunt. Patet enim ex toto hiſtoriæ huius contextu, illum Chriſto indiuulſum comitem fuiſſe, adeò vt in cruce pendenti adfuerit, vnà cùm matre virgine. Quod verò nomen ſuum cælauit, id modeſtiæ eius tribui debet, qua pij in ſuis rebus geſtis commemorandis vti conſueuerunt. Quia enim ſuæ infirmitatis ſibijpſis probè ſunt conſcij, & ſe nihil proprium habere norunt, diuinæ gratiæ hoc eſſe ſentiunt, ſi quid laude dignum abs ſe factum eſſe vident. Itaq; laudẽ omnem ad vnum Deum referunt, qui boni omnis largitor eſt, nosq; ad ea idoneos reddit, quæ noſtro ingenio & noſtris viribus confici nequaquam poterant. Hoc ipſum itaque Ioannes obſeruat, & ne ſibijpſi inuictæ fortitudinis aut conſtantiæ laudem tribuere videatur, quando ſe Pontificis atrium ingreſſum ſcribit, mox cauſam ſui facti ſubijcit. Quòd nimirum non reliquis diſcipulis fortior, ſed Pontifici notus fuerit. Id verò vnde acciderit non exprimitur: mihi tamen hoc neq; abſurdum neq; inſolens videtur, hominem tenuioris fortunæ & piſcatorẽ Pontifici faſtuoſo & eius domeſticis notum fuiſſe. Idem enim hodie etiam frequenter accidit, vt qui ex piſcatione, aucupio, venatione & ſimilibus ſtudijs victum quærunt, ferè in principum quoque maiorum aulis magis noti ſint, quàm viri docti & graues, quos ignaua ventris & otij mancipia non magni faciunt. Vtitur ergo iſta occaſione Ioannes, & in Pontificis atrium intrepidus ingreditur, foris manente Petro, qui ſibi nondũ tantum licere putabat. Vnde apparet, illum ex amore quidem ſecutum fuiſſe Chriſtum, amori tamen admixtum fuiſſe metum, quem nondùm excuſſerat: & fortaßis iniuria Malcho Pontificis ſeruo facta ei adhuc ob oculos verſabatur, & ideò maiorem ſibi timendi occaſionem habebat. Interim non obliuiſcitur amici & condiſcipuli ſui Ioannes, ſed ancillam Pontificis oſtiariam conuenit, & ſua interceßione Petro etiam ingreſſum impetrat. Quo loco vtriuſque diſcipuli perſonas propius inſpexiſſe proderit.

Petro nocet confidentia.

Et in Petro quidem videre oportet, quid illi in tota hac actione potißimùm impoſuerit. Amat ille Chriſtum ex animo, imò eius amore totus ardet & feruet. Adhæc inſtitutum eius bonum & ſanctum eſt: quando rei totius exitum videre cupit, neque eum in periculo deſerere vult, quem doctrina & miraculis clarum hucuſque ſecutus fuerat. Caterùm confidentia, cuius ſpecimina in Cœna paulò ante dederat, adhuc penes eum locum habuit, et Chriſti admonitionum immemorem fecit: quæ cauſa fuit potißima, quòd huc venire voluit, vbi Chriſti profeßionem cum periculo coniunctam eſſe non ignorabat. Id verò nunc præter officium facit. Quia enim ipſum Chriſtus de lapſu admonuerat, verbis illius fidem adhibere, & potius in angulum aliquem ſeſe occultare atq; omnia hoſtium Chriſti commertia ſubterfugere, quàm illis ſe coniungere debebat, qui vel minimam Chriſti abnegandi occaſionem ipſi præbere poterant. Docemur igitur hoc exemplo, ne temerè nos ingeramus rebus non neceſſarijs, quàmuis per ſe bonæ & licitæ ſint, niſi nos ſua vocatione Deus vrgeat. Quòd ſi ille nos vocet, intrepidè eius mandatum ſequamur. Qui enim nos tentationum periculis obijcit, idem nobis vires ſufficiet, vt illis ſuperiores euadere poßimus: ſicuti in Chriſti exemplo apparet, qui cùm à ſpiritu in deſertum deductus eſſet ad certamen contra ſatanam, inde victor glorioſus redijt. Quòd ſi qui confidentiores ex priuata temeritate res nihil ad ſe pertinentes ſuſcipiunt, ij ferè cum Petro ſuæ inſolentiæ pœnas dare conſueuerunt.

Ioannes et Chriſti diſcipulus et Pontifici notus eſt.

Similiter in Ioanne quoque multa conſideranda veniunt. Fuit is & Chriſti diſcipulus, & ſummo Pontifici notus, qui illius hoſtis erat acerrimus. Ita ſæpè fit, vt pij cum impijs aliquam habeant

*conſuetudinem & familiaritatem: quæ per ſe non damnatur, modò nihil ſua profeſſione indignū faciant. Quin elucet in eo virtus Chriſti, qui hoſtium animos cohibere poteſt, vt tales ferant, & modum illis familiariter vtantur, quorum fidem & religionem in alijs perſequuntur. Hic autem cautos eſſe oportet pios, vt Ioannis exemplum rectè imitentur. Is enim in ipſa Pontificis aula non diſſimulat ſe Chriſti diſcipulum eſſe, ſed talis videri vult adhuc, quàmuis illum captum vinctumq́ue cernat. At hodie plerique in principū aulis fidem turpiter diſſimulant, multi non obſcure negant, & tamen ſe ſanctorū exemplis defendi poſſe arbitrantur. Sed quid de illis debeat iudicari, poſtea in Petri facto videbimus. Deinde author eſt Ioannes, vt Petrus quoque in domum Pontificis intromittatur. Quod ipſum ex amici officio feciſſe non eſt dubium: peccat tamen in eo per imprudentiam, cùm non ignarus eſſet eorum, quæ Chriſtus Petro antea dixerat. Ita non rarò ſancti ſibi inuicem peccandi occaſiones præbent ex incogitantia, quando nihil minus facere cogitant. Et eſt hoc nimium frequens hodie apud eos, qui ſuis in principum & regum aulas viam ſternunt, & magno illos beneficio affeciſſe videri volunt, quando illos eorum ſeruitijs mancipant, apud quos fidem verā non licet profiteri. Debet autem hoc Ioannis exemplum nos cautos & prouidos reddere, ne quando interitus authores ſimus ijs, pro quorum ſalute nos dies & noctes aduigilare oportebat.*

Petri abnegatio prima.

*Sed ipſum Petri factum videamus, quo Chriſtum abnegauit. Ingredientem in Pontificis aulam interrogat oſtiaria: Num & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? Id verò ex officio feciſſe videtur, ne quis alius irreperet quàm ille, quem admitti Ioannes petierat. Et ſi verba excutiamus, nihil ſonant minax aut iniurioſum. Non enim ait: Num & tu Galilæus es, & impoſtoris huius diſcipulus? Sed ita loquitur, vt eam cōmiſeratione potius ductam, quàm odio aut ira inflammatā [illegible] dixeris. Quid autem huic reſpondit Petrus? Matthæus eum dixiſſe ait: Mulier, neſcio quid dicas. Quæ tergiuerſantis & diſſimulantis verba eſſe videntur. Sed Ioannes ea rectè exponens, illum dixiſſe ſcribit, Non ſum. Etenim hoc vnum tunc quærebat, ne pro Chriſti diſcipulo haberetur. Et ipſe Dominus, quando eum de lapſu hoc admonebat, dixit fore, vt ipſum ter abneget, priuſquam gallus canat. Vnde colligimus, Chriſti abnegationem fieri, non modò quando diſertis verbis ille reijcitur, verumetiam quando fidem in illum & quod ei debemus obſequium, quocunq; modo diſſimulamus. Nec ille eos ferre poteſt, quos ſui aut euangelij pudet. Ideò D. Auguſtinus ſcribebat: Non tantum modò negatur Chriſtus, qui dicit eum non eſſe Chriſtum, ſed ab illo etiam, qui cùm ſit, dicit ſe non eſſe Chriſtianum. Eſt hoc vitium nimis vulgare hodie: imò hominum ſapientiſſimi putantur, qui fidem in Chriſtum inter impios huius hoſtes ad hunc modum diſſimulare & translationibus mirificè tegere poſſunt, ne de illa cuiquam ſuſpecti fiant. Qui quàmuis abnegatores dici nolint, reuera tamen illum negant, cuius ipſos pudet, & proinde indigni ſunt, quos ille pro ſuis agnoſcat, quando olim in gloria patris ad iudicandum veniet. Omnium ergo animis illud Pauli inſideat: Non me pudet euangelij Ieſu Chriſti: eſt enim potentia Dei ad ſalutem omni credenti.*

Quàm facilè ad abnegandū adductus fuerit Petrus.

*Deinde obſeruatu digniſſimum eſt, quàm facilè Petrus ſeſe adduci patiatur, vt Chriſtum abneget. Solent ferè, qui in hoc peccant, culpā ſuam neceſſitatis legibus prætexere & excuſare. At qua obſecro neceſſitate hic vrgetur? Videt Ioannem tutò verſari inter eos, qui eum Chriſti diſcipulum eſſe ſciebant. Audiuerat Chriſtū diſcipulos ſimul omnes Patri commendauiſſe, de cuius fide dubitare non debebat. Audiuerat eundem hoſtibus dicentem: Si me quæritis, ſinite hos abire: & huius dicti effectum præclarum ſenſerat. Ancilla verò amicè & humaniter quis ſit ſciſlitatur, nō vt prodat, ſed vt in domū intromittat. Attamen ad eius conſpectum & dictum vnicum corruit, non tam magnificarum promiſſionū, quàm omnis ſui officij immemor. Imò coram vili & imbelli muliercula ipſum Chriſti pudet, quem antea Dei filium & promiſſum humani generis ſeruatorem eſſe confeſſus fuerat, quenq́ue ipſius non puduerat, cùm obſcurum & pauperculum piſcatorem ageret. Itaque non temerè hoc loco Diuus Auguſtinus exclamat: Ecce columna firmiſſima ad vnius auræ impulſum tota contremuit. Vbi eſt illa promittentis audacia, & de ſe plurimum præſumentis? At idem poſt multa huius generis ſubijcit: Sed quid mirum, ſi Deus vera prædixit, homo autem falſa præſumpſit. Diſcamus nos hoc loco, quàm nullæ ſint vires noſtræ, & quòd nemine etiam nos impellente corruimus, quàm primùm manum ſuam Deus ſubducit. Sumus enim infantum ſimiles, qui priuſquam be-*

ne firmatis poplitibus greſſus certos figere poſſunt, mox concidunt, ſi ſibijpſis relinquantur. Ita nos ſi ſuum ſpiritum pauliſper auferat Deus, mox ipſi nobis terrores fingimus & ſcandala ponimus, quibus fides noſtra labefactatur. Illud autem permittit iuſto iudicio Dominus, vt & noſtram vlciſcatur confidentiam, qua aduerſus ipſum ſuperbimus, & nos humiliatos ad ſuæ gratiæ thronum confugere cogat. Erat hoc ijs obſeruandum, qui ſe αὐτεξουσίους fingunt, & libero ſuo arbitrio gloriantur: quos ferè omnium mortalium meticuloſiſſimos & ignauiſſima affectuum mancipia eſſe videmus, ſi quæ tentationes grauiores exoriuntur. Noſtrum fuerit cum Dauide agnoſcere, quòd in peccato concepti & formati, nihil ex nobis ipſis poſſumus, & proinde ſpiritus manuductione opus habemus, quam nos à Deo indeſinenter poſtulare conuenit. Et huius nos oratio Dominica admonet, cuius poſtrema pars eſt: Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.

Typus ſeruientium in aulis Pontificum.

Præterea hic Petri in aulam Pontificis ingreſſus typum eorum continet, qui in aulas impiorum antiſtitum ſiue principum admitti, & penes illos aliquam functionem obtinere cupiunt. Pollicentur hi ſibi de ſemetipſis magnificè, ſeque fidem in Chriſtum inconcuſſam ſeruaturos aiunt. Sed vt Petrus primum ingreſſum turpi abnegatione Chriſti redimit: ita ferè iſti in ipſo limine offendunt, & ab ijs ipſis ad abnegandum ſolicitantur, quorum opora & interceſſione eò perueniunt. Noti enim ſunt eiuſmodi hominum ſermones, quibus incautos circunueniunt: Eſt (inquiunt) princeps noſter clementiſſimus & à rixis alienus: nec multùm curat quid quiſque credat in corde ſuo, modò ſibi obſequium fidele præſtet. At quia idem aulam ſuam contentionibus & diſſidijs turbari non vult, cauendum erit, ne de religione verba facias, neque aliquid agas, quod te illi ſuſpectum reddat. Quòd ſi quis importunior alijs abs te rationem fidei exigat, facilis & tuta erit reſponſio, ſi te diſputationes illas doctioribus & viris eccleſiaſticis relinquere dicas, neque diſputandi cauſa veniſſe, ſed vt principi illuſtriſſimo inſeruias. Ita inuidiam & ſuſpicionem declinare poteris, & amicos tibi parabis, & principe clementiſſimo vteris. Hi (inquam) ferè ſunt hodie eorum ſermones, qui in aulis principum oſtiarios agunt, & ſua interceſſione alijs apud eos locum impetrant. Sunt ergo diligenter cauendæ Sirenes iſtæ, & ſi quid tale nobis dicitur, meminerimus ſatius eſſe, vt in Chriſti eccleſia extremum angulum teneamus, quàm vt aureis compedibus vincti principum fauorem redimamus veritatis abnegatione.

Petrus caleſit cum Pontificijs ſeruis.

Quid verò Petrus, poſtquàm Pontificis aulam ingreſſus eſt? Stabant ſerui & miniſtri, qui prunas congeſſerant, quia frigus erat, & calefaciebant ſe: erat autem cum eis & Petrus ſtans & calefaciens ſe. Ergo ſecurus nimis nunc illic verſatur, & quaſi re bene geſta cum impijs Chriſti hoſtibus caleſit, neque adhuc peccati ſui ſenſu vllo tangitur. Sed mox prunas iſtas ſibi maioris ſceleris cauſam eſſe experitur, vt ſuo loco videbimus. Nunc in hoc exemplo peccati naturam & conditionem nos inſpicere oportet. Non ſentiunt eius atrocitatem, qui hoc primùm deſignarunt. Imò plerunque ſecuri ſibijpſis placent & blandiuntur, id quòd illis ad grauiora ſcelera viam ſternit. Factum hoc olim in primis parentibus, in Caino, in Dauide: qui omnes paulò poſt horribiles conſcientiæ æſtus ſenſerunt, quando ſui iudicij terrorem illis Deus ob oculos poſuit. Quod Petro etiam accidiſſe, ſuo loco audiemus. Nobis autem exemplorum eiuſmodi hic vſus eſſe debet, vt aduerſus diaboli inſidias vigilemus, neque admittamus peccati blanditias, quæ nobis ſtuporem illum exitialem inducunt. Obſeruabis præterea, quòd nunc in Pontificis aula Petrus friget, qui antea tam feruidus erat, quando cum Chriſto verſabatur. Solet ergo frigidos reddere Chriſti abnegatio, neque amplius calere poſſunt, quicunque ſolem iuſtitiæ relinquunt, qui ſolus ſuo ſpiritu animos noſtros incendit atque fouet. Solent quidem iſti vndique prunas congerere, & in eo admodum ſeduli ſunt Pontificum calefactores, Monachi & ſacrificuli, dum noua ſacra, nouas peccatorum expiationes, nouas ſalutis rationes quotidie excogitant: & interdum ſibi in his mirificè placent, vt cum ſtatuario illo (quem Iſaias capite quadrageſimo quarto deſcribit) dicant, Euge caleo, ignem vidi: ſed reuera frigidi ſunt intra animos ſuos, & veræ pietatis ſenſu deſtituti indies in peius proficiunt. Ergo procul relictis hominum commentis, fortes ſimus in fide vera & eius confeſſione, neque nos vllis rationibus auelli patiamur à Chriſto Ieſu, qui lux mundi eſt, adhæc vita ſalusque eſt & ſalutis præſidium inuictiſſimum. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

## HOMILIA CLIX.

Pontifex ergo interrogauit Ieſum de diſcipulis ſuis & doctrina ipſius. Reſpondit ei Ieſus: Ego palàm locutus ſum mundo, ego ſemper docui in ſynagoga & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus ſim ipſis: ecce, hi ſciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cùm ipſe dixiſſet, unus ex miniſtris qui aſtabat, alapam dedit Ieſu, dicens: Ita ne reſpondes Pontifici? Reſpondit ei Ieſus: Si malè locutus ſum, teſtare de malo: ſin bene, cur me cædis? Miſerat autem eum Annas uinctum ad Caiapham Pontificem.

*DAuid rex & propheta inter multa, quæ de Chriſto Ieſu ex ſua poſteritate naſcituro vaticinatus eſt, eum prædixit lapidem fore, quem ipſi ædificantes reprobaturi ſint. Id autem ab illo verè prædictum eſſe, ex euangelica hiſtoria abundè patet, quæ paſſim docet, non alios acerbiores Chriſti hoſtes fuiſſe quàm ſacerdotes, qui tunc in populo Dei primatum tenebant, & eccleſiæ architecti habebantur. Nos verò iſta in eum finem conſiderare decet, ne offendamur, ſi etiam hodie Chriſtus cum ſua doctrina maximè ab ijs damnetur, qui eccleſiæ capita atque columnæ haberi volunt, & ſummam in ea authoritatem obtinent. Vt enim olim non potuerunt obſtare ſacerdotes Iudaici, quò minus Chriſtus diuina ſua virtute vteretur, à mortuis reſurgeret, & in cælos euectus omnem acciperet poteſtatem, denique caput anguli fieret: Ita neque hodie obſtabunt eius aduerſarij, quò minus ſuam in eccleſia dignitatem obtineat, eam tueatur & ea obeat fideliſſimè, quæ ad piorum defenſionem atque ſalutem faciunt. Pertinet autem imprimis ad iſtam conſiderationem huius loci hiſtoria, qua docetur, quàm iniquè & indignè tractatus ſit Dominus in ſacerdotũ conſeſſu, & quid ipſe fecerit, quando ſe ab illis dolo ſimul malo & aperta vi oppugnari videbat. Videbimus, quibus artibus veritatis hoſtes vti ſoleant, & quid pios facere conueniat, ſi quando in eorum manus inciderunt.*

Chriſtus examinatur de doctrina et diſcipulis.

*Principiò Pontifex Caiaphas Chriſtũm de diſcipulis & doctrina ipſius interrogauiſſe dicitur. Ea verò inquiſitione non obſcurè teſtantur, eum pro ſchiſmatico & impoſtore habendum eſſe, qui falſam doctrinam diſſeminarit, & diſcipulos priuatos colligendo eccleſiæ vnitatẽ ſciderit. Et vero poterant ex officio hoc facere. Eſt enim antiſtitum diligenter prouidere, ne populus doctrinis falſis ſeducatur, neùe in ſectas ſcindantur, qui vnius Dei cultores eſſe & per eandem fidem in vnum corpus coaleſcere debent. Sed ſi rem omnem propius inſpiciamus, multa vitia hìc ſimul concurrunt. Primò enim hanc poteſtatem ſibi indignè vendicant, cùm non legitimi ſacerdotes eſſent, licet ſacerdotium à Deo inſtitutum occuparent, & ſucceſſione ſanctiſſimorum hominum, Aaronis, Eleazari, Nathani, Iehoſuæ & ſimilium gloriarentur. Hi enim olim ab ipſo Deo vocati, legis doctrinam purè ſancteque tradiderant, & à Deo inſtituta ſacra ritè adminiſtrarant. Iſti verò ſublata & extincta per Herodem veterum ſacerdotum progenie, malis artibus irrepſerant, & cùm religionem ſibi quæſtum feciſſent, eundem falſa doctrina tuebantur, atque populum infelicem humanis traditionibus ſeducebant. Itaque ſacerdotij dignitate turpiter abutebantur, & quia publico conſenſu & multorum annorum conſuetudine in ſuo gradu confirmati erant, doctrina eorum & per illos inuecta religio pleriſque orthodoxa, vera & vetus eſſe putabatur. Plus ergo nunc ſibi ſumunt, quàm debebant. Imò qui ipſi ad reddendam rationem dudum cogi debuiſſent, eam poteſtatem in alios ſibi vendicant, & ſuis inquiſitionibus Chriſtum conantur ſuſpectum facere, quem veritatis doctorem eſſe non ignorabant. Hoc enim teſtimonium quidam illius ordinis ei perhibuerunt, quando ipſum de cenſu Cæſari reddendo interrogabant. Præterea ordine etiam vtuntur iniquiſſimo & ab omni legum & publici iuris ſpecie alieno. Iam ante enim (vt capite vndecimo dictũ fuit) eum damnarunt, imò violenter cæperunt, & vt hominem ſceleratiſſimum vinculis ignominioſè conſtrinxerunt; nunc verò de-*

*mum*

mum in eius cauſam inquirunt. Neq; eo contenti, poſtquàm primum conatum, quem hoc loco Ioannes deſcribit, minus ſucceßiſſe vident, mox falſos teſtes ſiſtunt, inde eum captioſè adiurant, denique nullum iniuſtitiæ & iniquitatis genus intermittunt. At ſi iſta cum noſtri ſeculi moribus conferamus, eam tunc inter Iudæos rerum conditionem fuiſſe patebit, quæ hodie inter Chriſtianos multis in locis inuenitur. Poſtquàm enim eccleſiæ miniſterium, cui ex Apoſtolorum & veterum patrum ſanctitate atque eruditione plurimum dignitatis olim acceßit, inuaſerunt homines ambitioſi & auari, mox ijdem ſuis modò commodis intenti, religionem omnem ſibi quæſtum fecerunt, doctrinæ ſimplicem veritatem obſcurauerunt, & eccleſiam ceremonijs ineptißimis onerarunt. Et quàmuis iſta ab illis excogitata & introducta eſſe omnes norint, attamen propter publicum conſenſum & diuturnam aliquot ſeculorum conſuetudinem, illorum doctrina atque religio veteris & orthodoxæ nomen obtinuit, nouitatis verò accuſantur, quicunque eccleſiam ab iſtis ſordibus repurgare & doctrinam Apoſtolorũ reducere ſtudent. Imò eò vſq; excreuit iſtorum dignitas atq; potentia, vt ipſi ſibi in quoſuis alios ius & imperium vendicent, hæreticæ prauitatis inquiſitores inſtituant, qui in ipſos etiam principes inquirunt, & omnium dictorum factorumq; rationem ab ijs exigunt, quos de Romanæ ſedis dignitate, de receptis traditionibus & ab illis introducto ſacrorum vſu minus honorificè ſentire ſuſpicantur. Neq; in his ordine legitimo procedunt, ſed (vt Iudæorum pontifices olim) ferè præiudicijs vtuntur, & violenter capiunt atque carceribus includunt immerentes, priuſquàm examina in illos publica inſtituant. Teſtes verò contra illos producunt, aut ſeipſos ſpontè offerentes admittunt, quoſcunque veritatis inimicos, ſuæ autem tyrannidis fautores eſſe nouerunt. Denique hoc vnum agunt, vt vel captioſis quæſtionibus circunueniant, vel armis & vi aperta opprimant, quos ſibi minus propitios eſſe vident. Sunt hæc multorum ſeculorum exemplis confirmata, & hodie tam in publicis Conſilijs quàm in priuatis iſtorum examinibus hoc vnum agi, nemo tam cæcus eſt qui non videat. Sunt autem hæc nobis in eum finem obſeruanda, vt eiuſmodi hominum artes cauere diſcamus, neq; aliud nobis de illis polliceamur, quàm quòd veritatis doctrinam opprimere conentur, vbicunq; locorum illam caput exerere viderint. Nec enim illam ferre poſſunt, quorum dignitas & regnum mendacibus titulis & inani hominum perſuaſione nititur.

Chriſtus doctrinæ ſuæ rationẽ reddit.

Sed audiamus Chriſtum, qui Pontifici reſpondens ſolius doctrinæ mentionem facit. Non autem eius capita ex ordine commemorat, nec quæ aut qualis illa ſit, ſolicitè exponit. Quia enim non diſcendi ſtudio tenebantur, ſed malitioſè quærebant, vt ex verbis eius nouam calumniandi occaſionẽ venarentur, ſatius erat paucis agere, quàm multa nequicquam dicere, & (quod ipſe alibi apud Matthæum Euangeliſtã prohibet) ſanctum canibus proijcere. Ergo multis omißis, quæ hîc dici poterant ſolummodo vbi & quomodo docuerit exponit, vt fraudis & falſi ſuſpicione ſeſe liberet. Sic enim ait: Ego palàm locutus ſum mundo, ego ſemper docui in ſynagoga & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil, & cætera. Quibus verbis argumentum eiuſmodi ſubeſſe videtur: Qui falſa dogmata ſpargunt & ſectas inuehunt, hi clàm obrepere & rudes atque imperitos rerum circunuenire ſtudent. Ego autem nihil huius feci, ſed docui palàm & apertè: & quidem in ſynagogis & publicis populi cœtibus, imò in templo, ad quod omnes Iudæi vnà cum Sacerdotibus, Senioribus, Phariſæis & Scribis vndique conueniunt. Itaque non debeo ex impoſtorum numero haberi. Et quàmuis iſta ad remouendum fraudis ſuſpicionem ſufficere poßint, tamen vt animum bene ſibi conſcium declaret, non ſine magna dicendi libertate addit: Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus ſim ipſis: ecce, hi ſciunt quæ dixerim ego. Eſt hoc ingens animi magni & intrepidi argumentum, quo ita quorumuis de doctrina ſua teſtimonium admittit, vt ſimul ſeſe paratum eſſe oſtendat ad reſpondendum omnibus, qui illam accuſare aut reprehendere velint. Debent autem exemplum hoc ad ſe transferre miniſtri omnes, ne aliquam animi meticuloſi aut non bene ſibi conſcij ſpeciem præbeant, ſi quando doctrinæ ſuæ rationem reddere iubentur. Si enim in reddenda fidei ratione ſingulos omni tempore paratos eſſe conuenit, turpe nimis fuerit, eos in hoc ſegniores & minus animoſos deprehendi, qui reliquis exemplo eſſe debebant. Neque hic aliquem vel aduerſariæ partis potentia atque maieſtas, vel propria infirmitas terreat. Vt enim ſimplex eſt veritatis oratio, ita coniunctam ſibi habet vim quandam, quæ hoſtium quoq; animos penetrat, & au-

*daciſsimos quoſque terrefacit: ſicuti videre eſt, quando homines illiterati, imò pueri, puellæ, mulieres acutiſsimis ſophiſtis negotium faciunt, qui ab eis fidei ſuæ rationem exigunt.*

Cur nihil de diſcipulis reſpondeat Chriſtus.

*Obſeruemus autem, quòd de diſcipulis & doctrina interrogatus Ieſus, de ſola doctrina reſpondet, & hanc à falſi ſuſpicione liberat. Facit hoc, quia in eo huius quæſtionis cardo verſabatur. Si enim de doctrinæ veritate ſatis conſtet, minimè reprehendi merentur, qui illam tradunt & diſcipulos ſibi faciunt, qui illam ſequantur. Debet hoc ipſum hodie etiam obſeruari. Accuſant nos aduerſarij & hæreticos atq; ſchiſmatum authores eſſe plenis buccis clamant. Hîc verò minimè opus eſt, vt conuitia hæc in illos regeramus, aut circa diſputationes inutiles & intricatas occupemur: ſed doctrina in medium producatur vt qualis ea ſit omnes videant. Atqui conſtat, nos eam ex ſacræ ſcripturæ libris deſumere, qui ſoli in eccleſia pro authenticis agnoſci & recipi debent. Scopum item doctrinæ non alium conſtituimus, quàm vt homines Deo adducantur, & is ſuum regnum inter illos inſtauret. Modum huius myſterij in vno Ieſu Chriſto monſtramus, qui nobis ab æterno redemptor & mediator deſtinatus eſt, vt eius merito patri reconciliemur. Hortamur præterea, vt hunc vnum omnes recipiant, in hoc vno per fidem veram coaleſcant, illi ſeruiant, & in vitæ innocentia atq; charitate Chriſtiana ambulent. Quid verò in his omnibus impium? quid falſum? quid confictum? quid hæreticum? quid ſchiſmaticum cenſeri poteſt? Cùm ergo iſta cum Dei verbo conueniant, & ſalutis rationem veram tradant, non hæretici neq; ſchiſmatici, ſed orthodoxi, Catholici & verè Chriſtiani ſunt, quicunque doctrinam iſtam tradunt aut ſequuntur.*

Veritatis doctrina debet in publico proponi.

*Deinde non præteriri debet, quòd tanta diligentia teſtatur Chriſtus ſe palàm & in publico docuiſſe: nec id modò, ſed ſynagogarum & templi meminit, quæ loca ſacris cœtibus deſtinata fuiſſe ſcimus. Admonemur hoc exemplo, quod ſit veritatis ingenium, & quomodo tradi aut prædicari debeat. Lux eſt, & proinde occultari non poteſt, neque debet. Nemo enim accendit lucernam (vt Chriſtus Matthæi quinto capite ait) vt ponat eam ſubter modium, aut ſub lectum, ſad vt candelabro impoſita omnibus in domo agentibus præluceat. Minimè ergo ferendi ſunt tenebriones, qui occultè in familias irrepunt, & ſua blandiloquentia rudes circunueniunt, quales hodie ſunt Anabaptiſtæ & quotquot Arij dogmata hinc inde diſſeminant: quos omnes olim Paulus auerſari iuſsit. Deinde de vſu templorum hic locus nos admonet. Docuit in templo Dominus (vt etiam in ſynagogis) non ſacrificauit, non priuatas res egit, multò minus ſacrorum nundinationem exercuit. Imò cùm multa præter Dei inſtitutum auari ſacerdotes inuexiſſent, ipſe eiectis illis omnibus prædicauit ad ipſum confluenti populo. Erant iſta hodie diligenter obſeruanda, quando horribilis templorum prophanatio vbique cernitur. In Papatu enim emporiorum inſtar ſunt, & non modò ſacrificuli in illis pecunias à quibuſuis exigunt, verumetiam idola & infinita alia ſuperſtitionis inſtrumenta in eum vſum fingunt, vt quæſtum vberiorem faciant. Inter nos verò non deſunt, qui ex templis theatra publica faciunt, in quibus otioſi congerrones deambulant, mercatores ſua negotia tractant, pueri denique & puellæ ludos ſuos exercent. Sunt hæc non obſcura impietatis indicia, quibus corrigendis ſtudere debent, quicunq; religionem veram reſtitutam cupiunt.*

Doctrinæ Chriſti authoritas aſſeritur.

*Aſſeritur præterea hoc loco doctrinæ Chriſti authoritas, quando acerrimi hoſtes non habent, quod illi reſpondeant. Gentium ſacra & traditiones olim eiuſmodi fuiſſe ſcimus, vt eas vulgare in publicum graue ſcelus putaretur: quod ideò conſtituerant illorum myſtæ, quòd eas partim riſu dignas, partim verè abominabiles & deteſtandas eſſe ſcirent. Et Iudæos quoque conſtat arcana quædam iactare, & neſcio quod Schem Hamphoras celebrare, cuius virtus ſit ineffabilis. Turcæ verò & Mahumetani omnes de fide & religione diſputationes ſubterfugiunt, eò quòd Alcorani ſui decreta & fabulas nulla ratione firma defendi poſſe vident. In Papatu quoque linguam peregrinam in templa induxerunt, et pleraque ſacra eiuſmodi eſſe fingunt, quorum rationem nemo inquirere debeat. At longè aliter Chriſtus, qui in publico ſemper docuit, qui Apoſtolos ab ipſo traditam doctrinam inſtar præconum ſuper tecta proclamare iuſsit, & eam ſcriptis mandari, inque omnium gentium linguas traduci voluit, ne quis de eius ignorantia poſſet conqueri. Et cùm doctrina hæc in omnium ore & manibus verſetur, & vbique aduerſarios habeat, qui eruditione, ingenij acumine & authoritate omnibus alijs præſtent, nemo tamen vnquam inuentus eſt, qui eam falſi conuincere aut idoneis*

rationibus

rationibus confutare potuerit. Nemo igitur hanc ſuſpectam habere debet, horum autem conſideratione nos in fide confirmari conuenit, ne nos à Chriſto abduci patiamur.

Chriſtus à ſeruo Pontificis percutitur.

Videamus nunc vt hæc Chriſti reſponſio accepta fuerit. Quidam ex ſeruis, qui aſtabant, ipſi alapam infligit. Fuit hæc ignominia non vulgaris, quam noſtri cauſa ſuſtinuit, vt nos ab æternæ mortis ignominia liberaret. Quò ea etiam debent referri, quæ poſtea maiori cum petulantia cùm ſacerdotum famuli tum milites fecerunt. In præſenti autem nebulo hic aliquam rationem prætexit, dicens: Itane reſpondes Pontifici? Ergo ruſticitatis accuſat Chriſtum, vel potius impietatis, qui ex prophano ordinis ſacerdotalis contemptu tam liberè & ingenuè ſummo Pontifici reſponderit. Solent enim ad miraculum vſque ſuperbire patres illi, poſtquam ſemel ſuam authoritatem verbo Dei præferre cœperunt. Et quia aſſentatores facilè inueniunt, qui omnia illorum ſeruiliter admirantur, & eoſdem titulis magnificis & ad ambitionem confictis inebriant, ita illis aſſueſcunt, vt nihil ferre poſſint, quod Chriſtianam dicendi libertatem ſapit, & in ſe contumelioſos putant, quoſcunque liberius ſecum loqui audiunt. Sunt autem huius ſerui ſimiles hodie multi in epiſcoporum & abbatum familijs: qui vbi ſemel in animum ſuum induxerunt heris ſuis aſſentari, malignis planè oculis omnes eos obſeruant, quos illorum ſtudijs aduerſos eſſe nouerunt, & non contenti calumnias ſtruxiſſe, inſuper temerarij & crudeles fiunt, & priuſquam iubeantur temerarias manus in pios inijciunt. Quò magis caueri debent eorum commercia, ne quam illis præbeamus aduerſus nos ſæuiendi occaſionem. Obſeruabis autem hoc loco Concilij Antichriſtiani typum euidentiſsimũ, cuius præſides atque aſſeſſores cum aſtutia, hypocriſi & iniuſtitia ſummam quoque inhumanitatem coniunxerunt. Conſederunt enim iſti, vt iudicij legitimi formam referant, imò religionis antiſtites volunt videri, qui pro publica ſalute ſoliciti, in hæreticos, ſchiſmaticos & eccleſiæ turbatores inquirant. Interea autẽ abſque omni ratione vt immanes belluæ ſæuiunt: & præter omne ius atque contra publicum morem gentium hominem innocentem & vinctum in ipſo foro percuti ſinunt à ſeruo, qui priuata temeritate tantum ſibi permittit, neque in toto hoc conſeſſu aliquis reperitur, qui facinus iſtud indigniſſimum reprehendat. Nouerat ergo ſeruus hic non modò heri ſui voluntatem, ſed quòd reliquis etiam omnibus rem gratam facturus eſſet, & ideo iniuſſus iſtud facit. Et talia quidem iam ſeculis aliquot fuiſſe Concilia Pontificum, hiſtoriæ teſtantur: ideoq; nimiùm ridiculi ſunt, qui ſibijpſis hodie aliquid ex illis boni aut æqui pollicentur. Docet item hoc Chriſti exemplum, quid in hoc mundo ferè ijs accidat, qui veritatem ingenuè profitentur. Obruuntur tales conuitijs, & aperta etiam vi in illos impij graſſantur, qui nihil minus quàm veritatis lucem poſſunt ferre. Experti ſunt hoc olim prophetæ, de quibus multa huius generis commemorantur: & quid apoſtoli paſſi ſint, & qui hos ſecuti ſunt martyres, notius eſt quam vt commemorari oporteat. Debent autem hæc obſeruari, ne offendamur, ſi quid ſimile nobis accidat, ſed conſtanti fide armati fortiter feramus pro Chriſti nomine, quæ ipſum iam ante propter nos tuliſſe ſcimus.

Chriſtus ſeruum Pontificis arguit.

Docet hoc nos ille in præſenti. Nam indignè percuſſus à ſeruo Pontificis, non cõuitiatur, neq; maledicit eum, quod facilè poterat, ſed verbis modò reprehendit, vt in poſterum agat modeſtius. Si (inquit) malè locutus ſum, teſtare de malo: ſin bene, cur me cædis? Quid iſta reſponſione (vt D. Auguſtini verbis vtar) verius, manſuetius, iuſtius? Si cogitemus quis acceperit alapam, nonne vellemus eum qui percuſsit, aut cæleſti igne conſumi, aut terra dehiſcente ſorberi, aut correptum dæmonio volutari, aut aliqua huiuſmodi qualibet pœna, vel etiam grauiori puniri? Quid enim horum per potentiam iubere non potuiſſet per quam factus eſt mundus, niſi patientiam nos docere maluiſſet, qua vincitur mundus? Imitemur ergo Chriſti exemplum, ne dum impatienti priuatæ vindictæ cupiditati indulgemus, non tam aduerſarijs noſtris quàm nobis ipſis noceamus. At ſimul verum patientiæ modum Chriſtus nos docet, & proprio exemplo præceptũ ſuum interpretatur, quo in vnam maxillam percuſſi alterã obuertere iubemur. Abuſi ſunt eo multi olim fidei hoſtes in Chriſtiani nominis & religionis ignominiam: inter quos primatum facilè tenuit Iulianus apoſtata, qui Chriſtianis de iniurijs ſibi factis conquerentibus illud petulanter obijcere ſolebat, & eo prætextu illis legum & publici iuris præſidia negabat. Et hodie reperiuntur, qui dum literam nimis vrgent, iura & leges tollunt, magiſtratum abolent, & Chriſtianam religionem omnium ludibrijs exponũt.

Matth. 5.

*Sed longè aliam Chriſti mentem fuiſſe cùm iſta diceret, ex hac eius reſponſione apparet. Vult enim nos à temeraria priuatæ vindictæ cupiditate alienos eſſe, & ad alteram potius iniuriam ferendam propenſos, quàm ad malum referendum procliues. Interim non prohibet, quò minus veritati patrocinemur, innocentiam noſtram tueamur, imò legum præſidio vtamur in fortunis quoque noſtris defendendis. Fecerunt hoc olim ſanctiſſimi quique, & ij quidem, quos manſuetudinis nomine ſcriptura maximè commendat, & quos ad quæuis ferenda patientiſſimos fuiſſe ſcimus, ſi quid pro Dei gloria aut publica ſalute fuit faciendũ: quales fuerunt Moſes, Dauid, Paulus & plures alij. Quòd ſi verò hoc priuatis hominibus licet, quantò magis principes & magiſtratus aduigilare decet, ne ſuum patrocinium ijs negent, qui propter iuſtitiam & veritatem periclitantur? Diſcant præterea hoc loco proterui illi & temerarij piorum hoſtes, quid expectent, niſi à vi & iniurijs abſtineant. Increpabit illos in furore ſuo Dominus, & ſibi factum putabit, quicquid illi ſanctis ſui nominis cultoribus fecerint. Sed & iudices meminerint, neminem indignius tractandum eſſe, priuſquam cauſa eius probè cognita & perſpecta fuerit. In Iudicijs enim teſtibus, argumentis idoneis & legibus, nõ manibus res agi debet. At quia hæc non multùm curant impij, noſtrum fuerit nos ad quæuis aduerſa præparare, in ferendis iniurijs patientes eſſe, ſpem verò inconcuſſam habere in Ieſu Chriſto, qui nos non patietur ſupra vires tentari, & qui olim huius ſeculi afflictiones cœleſtis & æterni regni gaudijs compenſabit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

## HOMILIA CLX.

Stabat autem Simon Petrus & calefaciebat ſe. Dixerunt ergo ei, Nonne & tu ex diſcipulis eius es? Negauit ille & dixit, Non ſum. Dicit ei quidam ex ſeruis pontificis, cognatus eius cuius abſciderat Petrus auriculam: Nonne ego te uidi in horto cum eo? Rurſus ergo negauit Petrus, & ſtatim gallus cantauit.

*Poſtquam euangeliſta præcipuam ſummi pontificis & totius Concilij actionem aduerſus Chriſtum Ieſum expoſuit, redit modò ad lapſum Petri, quo is dominum & magiſtrum ſuum abnegauit. In qua narratione præter ea, de quibus nuper dictum eſt, primùm obſeruanda venit euangeliſtarum fides qua in deſcribenda Ieſu Chriſti hiſtoria vſi ſunt: quam ita contexunt, vt ſuos quoque & ſuorum condiſcipulorum ſiue ſymmyſtarum næuos atque lapſus commemorent. Ita Matthæus ſe publicanum fuiſſe, & ad telonium ſediſſe non diſſimulat. Idem diſcipulorum ignorantiam, peruerſa de regno Chriſti iudicia, æmulationem, ambitionem & altercationes non vno loco exponit, quod Lucam quoque & Marcum feciſſe ſcimus. Nunc verò ſimul omnes Petri peccatum narrant, quo nullum fœdius & grauius committi poterat. Quomodo igitur nobis ſuſpecti eſſe poſſunt, quaſi in Chriſti gratiam aliquid confinxerint, qui proprios lapſus atque errores reticere noluerunt? Deinde magnum diuinæ cùm bonitatis tum virtutis argumentum in eo elucet, ſi cum diſcipulorum infirmitate & vitijs ea conferamus, quæ poſtea ab illis tanto zelo & ſpiritus feruore, adeoque tam inſigni cum fructu facta ſunt. Qui enim antea terrenis addicti erant, metu & terroribus circumuenti trepidabant, non multò poſt accepto ſpiritu ſancto ad cœleſtis regni hæreditatem toto animis aſpirarunt, & fortes in Domino mundum hunc vniuerſum vnà cum ſuo principe conculcarunt, illoq; inuito regnum Dei per totum orbem propagauerunt. Habet ergo conſideratio iſta multum conſolationis, ne infirmitatis noſtræ ſenſu territi deſperemus, ſed ſpem habeamus inuictã in Domino, qui procul dubio nos quoque nouis viribus armare & inuictos facere poterit, ſi ipſius vocationem conſtanter ſequamur.*

Petro nocuit impiorum commercium.

*Rurſus autem ab occaſione orditur Ioannes, qua factum eſt, vt Petrus qui antea labi cœperat, Chriſtum ſecundò etiam & tertiò abnegauerit. Stabat autem (inquit) Simon Petrus & calefaciebat ſe: nimirum cum ſeruis ſacerdotum, qui vt à frigore nocturno ſeſe tuerentur, pru-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mas congeſſerant, ſicuti nuper diximus. Nocuit igitur ei, quòd & admonitionis Chriſti, & eius quod paulò ante paſſus erat immemor impijs Chriſti hoſtibus ſeſe coniungit, interea dum illorum heri de illo occidendo conſultant, & captum iam ſuis fraudibus circunuenire ſtudent. Hic enim multiplex peccandi occaſio ſeſe offert. Nam non ancilla modò (vt Lucas annotauit) verumetiam famuli circunſtantes eum interrogant, annon ſit ex diſcipulorum Chriſti numero? Itaque maiori quàm antea metu oppreſſus diſertè negat. Neque eo contentus, cùm quidam ex cognatis Malchi, cuius auriculam abſciderat, illum propius vrgeret & abs ſe in horto viſum diceret: ſed & plures alij (ſicuti in Matthæo ſcribitur) ex ſermonis idiomate Galilæum eſſe agnoſcerent, ille non modò negat Chriſtum, verumetiam diris obteſtationibus abiurat. Eſt autem obſeruatu digniſsima tanti ſceleris occaſio. Docemur enim hoc exemplo, quàm noxia ſint eorum conſortia, qui aduerſus Chriſtum coniurauerunt, & eius doctrinam atque fidem oppreſſam volunt. Nam noſtrapte natura infirmi & ad malum procliues, adhæc meticuloſi ferè ſumus, ſi quid audendum pro veritate apud eos, quorum amicitiam atque fauorem quærimus. Facilè ergo corrumpimur eorundem commercijs, & tunc impletur, quod ſapiens ille dicebat: Qui contrectat picem, inquinatur ab ea. Et eò facilius hoc fieri ſolet, quòd dum nos frigidi diſsimulatores ſumus, illi è contra res ſuas ſedulò agunt, & quoſuis obuios in ſuas partes pertrahere conantur. Modò enim promiſsis pelliciunt quos opis indigos eſſe vident: modò minis territant eos, qui quod amittant habent: & ſi nihil horũ faciant, ſaltẽ importunis quæſtionibus terrorem & metum ijs incutiunt, quos vel ineptiores ad reſpondendum, vel natura meticuloſos eſſe norunt. Multum quoque hîc poteſt ingens numerus impiorum, qui modò agminatim eos ſimul oppugnant, qui in illorum manus incidunt: modò per vices certas ſubmittunt aſsiduè, qui incautos ſolicitent. Quòd ſi contemptis omnibus periculis ſimul atque admonitionibus, nihilominus nos illorum commercijs non neceſſarijs ingeramus, patitur nos ſuccumbere Deus, partim vt noſtram infirmitatem arguat, quam ipſi in nobis agnoſcere nolumus: partim vt dignis modis eos mulctet, qui priuata commoda & mundi huius amicitiam ipſius verbo atque mandatis præferunt. Cur enim ſua gratia eos ſuſtentet, qui eam quaſi faſtidiant, quando ſuarum virium fiducia elati periculis manifeſtis ſeſe immergunt, & ad mundi huius ſentinam reuertuntur, ex qua ipſos gratia peculiari ſelegerat? Et quàm fœdè tales labantur, ſcripturæ innumeris exemplis docent. Iſraelitas in deſerto Moabiticarum mulierum conſortio in idololatriæ ſocietatem adductos fuiſſe legimus. Et poſtea iiſdem præcipua ſuperſtitionum & defectionis à Deo cauſa fuit, quòd contra Dei præceptum Chananæorum reliquijs pepercerunt, & cum illis fuerunt permixti. Imò mortalium ſapientiſsimus Solomon, dum ſapientia ſua fretus mulieres exteras & gentilitias ſibi coniungit, ab iiſdem deceptus idololatriæ inter Iudæos author fuit, quæ poſtea non aliter quàm per ſcopas Chaldaicas & Aſſyriacas expurgari potuit, non ſine horribili gentis totius & vrbis templiq; excidio. Sed veterum exemplorum commemoratione minimè eſt opus, quando huius generis multa hodie experimur in ijs, qui culinæ papiſticæ nidorem ſequuntur, & ad Epiſcoporum atque Abbatum menſas vt canes famelici accurrunt. Coguntur hi multa audire quæ nollent, & de fide ſua requiſiti reſpondere non audent ex animi ſententia, dum eos offendere metuunt, quorum amicitiam ſibi vtilem & quæſtuoſam eſſe ſentiunt. Primùm ergo fidem ſuam aſtutè diſsimulant, mox diſertè negant, & tandem abiurant quoque, dum ſacris vel ſuperſtitionibus infidelium communicant. Fit idem ijs quoque, qui coniugijs imparibus ſeſe obſtringunt, & vel opum vel libidinis ergò ijs coniunguntur, quos à vera fide & recto Dei cultu alieniſsimos eſſe non ignorant. Pollicentur hi quoque de ſemetipſis ſibi magnificè, ſed quàm primùm ad ignem iſtum accedunt, omnis officij immemores frigent, & abnegatores fiunt. Non temerè ergo factum putabimus, quòd impiorum coniugijs & fœderibus olim Deus interdixit. Nos verò præceptorum & admonitionum eius ſemper meminiſſe conuenit, ne dum nobis de noſtris viribus plus quàm de Dei ſapientia & paterna cura pollicemur, fidei ſimul & ſalutis naufragium faciamus.

Præterea non temerè annotauit Ioannes, inter aſtantes ſacerdotum ſeruos cognatum Malchi fuiſſe, cuius auriculam Petrus paulò ante abſciderat, & eum illi notum fuiſſe dicit, & acceptæ iniuriæ ſatis memorem, cùm eorum mentionem faciat, quæ in horto contigerunt. Elucet in eo ſin- Petrus inter hoſtes à Deo defenditur.

gularis Chriſti fides & potentia, qua diſcipulum ſuum defendit inter medios hoſtes, & quidem eos, qui illum probè nouerant, & quos innata nobis vindictæ priuatæ cupiditas ad iram poterat inflammare. Fuit ergo rata & efficax eius precatio, qua diſcipulos ſimul omnes patris tutelæ atq; fidei commendauit. Factum verò hoc eſt ſæpius, & exempla eiuſmodi ſcripturas legentibus paſſim occurrunt. Sic patriarchas olim ſeruatos fuiſſe ſcimus inter Chananæos, & Lothum in ipſis Sodomis incolumem vixiſſe. Et in illorum hiſtoria imprimis memorabile eſt, quod de Iacobo & eius filijs ſcribitur. Cùm enim Simeonis & Leui temeritate ciuitas Sichem doloſe occupata & in eius ciues crudeliſſimè ſæuitum eſſet, et Iacob præ metu ſibi ex ea vicinia migrandum eſſe putaret, diſcedentem cum ſuis nemo Chananæorum inſequi auſus fuit, ſed terror Domini omnes eos continuit. Sic prophetas ſuos cuſtodiuit, vt quidam ſub impijs & truculentis regibus per multos annos docuerint, & maximè omnibus idololatriam atque ſcelera oppugnarint. Quod ipſum ſublatis iam è mundo apoſtolis accidiſſe, quando Romani Imperatores ſurgens vbiq; Chriſti regnum extinguere conabantur, hiſtorici eccleſiaſtici docent. Et huius generis multa hodie videmus, quæ omnia Dauidis vaticinio fidem faciunt, qui Chriſtum inter medios hoſtes regnaturum prædixit. Nos verò ex his conſolationem petere debemus aduerſus impios mundi & principis eius conatus, ne horum metu nos ex ſtatione depelli patiamur, in quam nos Dominus collocauit.

**Petrus diſertè abnegat Chriſtum.**

Debebat in horum conſideratione Petrus verſari & Domini manum protectricem agnoſcere, ſed facit quod ipſum facturum eſſe Chriſtus prædixerat, & (vt Diui Auguſtini verbis vtar) medici impletur prædictio, ægroti autem arguitur præſumptio. Quàm primum enim interrogatur, an etiam ipſe ſit ex diſcipulorum Chriſti numero, ſe talē eſſe diſertè negat: & qui ab oſtiaria interrogatus frigida diſſimulatione vſus fuerat, nunc apertè peccat aduerſus fidei leges, quibus Chriſtum ingenuè confiteri iubemur. Mox vbi vrgetur, abiurat quoq;. Vbi multa concurrunt, quæ pio cuiuis horrorem merito incutiunt. Primò enim ſuæ dignitatis immemor eum abnegat, quem toties profeſſus erat, quo cum diutiſſimè vixerat, & cui propter innumera beneficia ſe totum debebat. Deinde ſalutis etiam propriæ non magnam rationem habet, eum abnegando, in quo vno ſalutem omnem contineri ſciebat. Quid enim aliud facit, quàm quòd ſeipſum (quantum in ſe eſt) vita & ſalute omni ſpoliat? Accedit his, quòd ſemel & iterum lapſus, non modò non ſentit quid fecerit aut quid paſſus ſit, ſed quaſi callo obducto induratur, & maiori licentia in deterius ruit. Sunt hæc à nobis diligenter conſideranda, vt diſcamus, quò nos præcipitet ſatan, ſi eius ſuggeſtionibus ſemel locum demus, & à Deo commiſſam ſtationem deſeramus. Initiò quidem leuius nos tentat, neque horribili cum impetu nos proſternit, ſed lapſum noſtrum aliquo modo ſuffulcit, vt excuſabilis videatur. At ſic agendo id vnum quærit, vt conſcientijs noſtris ſtuporem inducat, ex quo peccati habitus quidam & conſuetudo enaſcatur. Quod ſi ſemel obtineat, mox vires ſuas ſimul omnes exerit, & miſeros vrget, impellit, rotat, vt omnis officij immemores in quoduis ſcelus ruant, neq; ſe peccare putent, quando omnes pietatis leges tranſgrediuntur. Eſt hoc in Petro videre, quem eò deduxit, vt Chriſtum millies negaturus fuerit, ſi toties de illo fuiſſet requiſitus. Idem Dauidem expertum fuiſſe alibi diximus: & multa ipſi quotidie patimur, quæ iſta veriſſimè à nobis dici demonſtrant. Vſus autem huius doctrinæ eſt, vt perpetuò vigilemus, dicta item & facta noſtra diligenter obſeruemus, eaq; examinemus ad verbi diuini regulam: deniq; vt exhorreſcere diſcamus ad leuiſſimam quoq; tranſgreſſionis ſpeciem: ne dum initiò nobis blandimur, idem nobis quod Petro accidat, aut etiam incurabiles facti miſerè pereamus. Qui iſta ad hunc modum conſiderant, ijs plurimum momenti ad ſalutem Petri lapſus afferet, cuius recordatione in omni bono confirmabuntur.

**Petri pœnitentia.**

Sequitur eiuſdem pœnitentia, quam Ioannes vno verbo attingit, quando poſt tertiam abnegationem illico gallum ceciniſſe ſcribit. Quo loco magnum diuinæ bonitatis argumentū elucet. In ipſo enim peccati articulo Dominus per galli cantum admonet & excitat ſecurum, vt de ſalute cogitare diſcat. Eſt autem hoc admodum frequens, quod ad interitum ruentibus ſeſe Deus opponit, vt curſum noſtrū ſiſtat, noſq; in viā reuocet. Et hæc cauſa fuit, quòd de galli cantu Petrū in Cœna vltima admonuit Dominus, cùm lapſum hūc ipſi prædiceret: Simile quid in Dauide habemus, qui cū ſecurus & cōfidenti animo ex ſcelere in ſcelus rueret, à Nathano propheta, quē ei Deus ſubmiſit, exceptus & in viam

in viam reductus eſt. Et in nobis ipſis huius generis multa experimur, quæ de bona Dei voluntate teſtantur, qua is ſaluti noſtræ conſultum cupit. Id verò nos non modò officij admonet, verumetiã conſolatur, ne pœnitentiam noſtram inutilem aut Deo minus acceptam fore putemus. Cur enim illam reijciat, cuius ipſe in nobis author eſt? Aut cur in nos grauius animaduertat quàm in alios, qui olim ab ipſo in gratiam recepti ſunt, quando à peccatis conuerſi reſipuerunt, & ipſius inuocarunt miſericordiam? Etenim ſi Petri factum excutiamus, nullum ſupplicij genus excogitari poteſt, quod ille non meruerit, quando eum abnegauit, quem ſalutis authorem eſſe ſciebat. Et iam illum grauabat Chriſti ſententia dicentis: Quemcunque mei puduerit coram generatione iſta praua & adultera, eius me quoque pudebit cùm venero in gloria patris mei, &c. Attamen non modò ignouit ei Dominus, ſed in priſtinum quoque gradum reſtituit, ſicuti ſuo loco audiemus. Et eandem gratiam omnibus nobis offert Deus, quando per Ezechielem ait: Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Quid quòd ipſe Chriſtus propter peccatores potiſſimùm in mundum venit, vt eos ſaluos faciat? Nemo igitur in peccatis ſuis quantumuis multis aut grauibus deſperet, quando per Chriſtum Ieſum aditus ad thronum gratiæ patefactus eſt omnibus, qui in illo verè reſipiſcunt, & illum fide vera amplectuntur.

Sed videamus quo ordine aut ratione vſus ſit Dominus, vt Petrum ad veram pœnitentiam adduceret. Primùm gallus cecinit, & fit quod illi antea prædixerat. Deinde ipſe eum reſpicit: nimirũ non tam corporis viſu quàm gratiæ & interceſſionis ſuæ merito, quo illum conſeruauit, ne totus diabolo præda fieret. Quò referri debet, quòd apud Lucam ſe pro illo interceſſiſſe ait, ne fides ipſius deficiat. Sunt hæc omnibus nobis neceſſaria, quicunq; ad veram pœnitẽtiam peruenire volumus. Primò enim quia caro ſumus, externis adminiculis opus eſt, ſeu ſtimulis potius, quibus carnis noſtræ ſocordia expellatur. Hos itaq; Deus per verbum ſuum adhibet, cui ferè ſigna omnis generis coniũgit quibus excitat, vt verbo locum demus, aut eorum recordemur, quorum obliti ſumus. Quæ omnia in præſenti per galli cantum adumbrantur. At quia hæc per ſe nihil poſſunt in hominum animis, interiorẽ ſpiritus ſancti virtutem accedere oportet, quæ mentes noſtras moueat, trahat atq; innouet. Et in his quidem ſuo officio Deus probè fungitur, quãdo inſtar patris fideliſſimi nihil eorum omittit, quæ nos ad pœnitentiæ ſtudium excitare poterant, ſi illius monitionibus locum daremus. At quia pleriq; animis ſuis callum obduxerunt, vt neq; verbis neq; ſignis, imò ne pœnis quidem ſeueriſſimis ſeſe moueri patiantur, minimè mirum eſt, ſi multi in ſceleribus malè pereant.

Quo ordine erga Petrum uſus ſit Dominus.

Sed hîc nos in Petrum reſpicere conuenit, vt eius exemplo diſcamus, quid nos facere conueniat. Recordatur ille verborum Domini, vtiq; non eorum modò, quæ de abnegatione ſui ille prædixerat, verumetiam omnium aliorum, quibus ſalutis doctrinam illis erat interpretatus. Cum ijs ergo, quæ iam pridem de Chriſto Dei filio & promiſſo redemptore audierat, ea conferens, quæ ipſe in præſenti aduerſus veræ fidei leges deſignarat, dolorem animo ſuo immenſum & ſibi intolerabilem concipit. Agnoſcit itaq; peccatum ſuum, & eius atrocitate offenſus, mox ab ijs diſcedit, qui ipſi eius authores fuerant. Sequitur mox amarus fletus, quo ſuam miſeriam deplorat, & qui ipſi confeſſionis loco eſt. In his verò omnibus non deſperat de gratia Domini, ſed cum eo reconciliari cupit, ſicuti ea abunde teſtantur, quæ in Chriſti reſurrectione ab ipſo factitata ſunt. Hæ ſunt partes veræ pœnitentiæ: peccati nimirum cognitio vera, quæ ex Dei verbo petitur, animi contritio, delictorum emendatio, & inuicta miſericordiæ diuinæ fiducia, quæ nos falli nõ ſinit. At in omnibus his hodie multiuariàm erratur. Multi enim neque Dei admonitiones admittunt, neque ſignis excitantur, vt de peccatis & eorum emendatione ſeriò cogitent. Multi verò ad ſuperſtitiones conuerſi ſatisfactiones pro peccatis ex ſemetipſis fingunt, & ferè circa res inutiles occupantur. Plerique verò alij ſolo pœnæ metu territi pœnitentiam momentaneam inſtituunt, & mox ad ingenium redeunt, quando ſe extra periculum conſtitutos eſſe vident. At omnes iſti non aliud proficiunt, quàm quòd Dei iram magis contra ſe inflammant, qui hypocriſim odit, corde autem verè humiliato & contrito delectatur. Nos ergo Petri exemplum nobis imitandum proponamus, & Chriſtum Ieſum amplexemur, qui nobis & veræ pœnitentiæ & ſalutis æternæ vnicus author à Deo datus eſt. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

Quomodo Petrus pœnitentiam egerit.

## HOMILIA CLXI.

**Ducunt ergo Ieſum à Caiapha in Prætorium. Erat autem mane: & ipſi non introierunt in Prætorium, ne polluerentur, ſed ut ederent paſcha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc? Reſponderunt & dixerunt ei: Niſi iſte eſſet maleficus, non tibi tradidiſſemus eum. Dixit ergo illis Pilatus: Accipite eum uos, & ſecundùm legem ueſtram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet occidere quenquam: Vt ſermo Ieſu impleretur, quem dixit ſignificans qua morte futurum erat ut moreretur.**

*EXpoſuit nuper Ioannes, vt ſacerdotes & ſeniores Ieſum Chriſtũ de doctrina & diſcipulis ex-
minauerint. Fuit hæc præcipua Cõcilij illius actio, ex qua ſatis apparet, quàm iniquè & imp-
denter ſua authoritate abuſi ſint. Ideo multis omiſsis, quæ præterea fecerũt, & quæ ab alijs euang-
liſtis deſcripta ſunt, narrat deinceps, vt illum quaſi legitimè condemnatũ Romano præſidi Pon-
Pilato tradiderint, & quid coram illius tribunali ſit geſtum. Scimus enim Iudæorum gentem tu-
temporis Romanorum imperio fuiſſe ſubiectam, qui etſi illis αὐτονομίαν ſiue libertatẽ aliquam co-
cederent quoad religionem & patrias leges, iiſdem tamen ius gladij ademerant, & proinde Præſi-
eos ſiſti oportebat, quos ipſi morte aut capitali ſupplicio dignos eſſe iudicabant. Diligenter autem
hiſtoriæ dominicæ pars ab omnibus euangeliſtis deſcribitur, eò quòd multa continet, quæ noſtræ tum
inſtitutioni tùm conſolationi ſeruiunt. Primò enim facit hoc ad redemptionis noſtræ myſterium,
Chriſtum vtriuſq; populi, Iudæorum ſcilicet & gentium, redemptorẽ eſſe docet, nec aliquem pro-
genus aut nationem contemni ſiue damnari debere. Deinde ad prophani iudicis tribunal Chriſtus
ſtitur, vt nos ex terroribus iudicij diuini liberet, aditumq; nobis aperiat ad thronum gratiæ, a
prius propter peccata noſtra reijciebamur. Præterea ſic aſſeri oportuit illius innocentiã, dum a
diuerſos iudices cauſa eius agitur, vbiq; verò iuſtus & innocens pronũtiatur: Vnde colligimus
ſufficientem eſſe pro peccatis totius mundi victimam. Poſtremò patientiam nos docet ſuo exem-
ne vel territi ſuccumbamus, vel aduerſus Deum murmuremus, ſi quid ſimile nobis accidat. N
enim poſſunt aduerſus veritatem impiorum conſilia: & quàmuis nos indignis modis tractari pa-
tur Deus, noſtro tamen bono hoc fit, quorum fidem ſic exerceri atque probari oportet: non dor
autem Deus, & ſuo tempore dignas pœnas ſumit de hoſtibus, qui ipſum in ſuis membris perſequu-
tur. Factum hoc in Iudæis non multò poſt. Vt enim ipſi Chriſtum ſeruatorẽ Romanis tradideru-
ita illos quoque in Romanorum manus tradidit Deus, qui terram omnem crudeliter vaſtarunt,
poſt longam calamitoſiſsimamq; obſidionẽ vrbe potiti ſunt, quã vnà cum templo ſolo æquarunt,
licis autem populi reliquias per totum orbem diſperſerunt, in quibus etiamnum hodie vbique ge
um iuſtæ vindictæ & iræ Dei exemplum videre licet. Quod ipſum omnibus euenturum eſſe, qui
cleſiam Chriſti hoſtiliter perſequuntur, prophetarum ſermones diſertè monent. At quia hæc om
deinceps ſuo loco & tempore clarius patebunt, nunc omiſſa tractatione longiori ad præſentis loci
ſtoriam accedemus, cuius partes ſunt duæ.*

*Chriſtus Pilato præſidi traditur.*

*Prima paucis narratur, Chriſtum ex Caiaphæ domo ductum fuiſſe in Prætorium, vbi Pila-
tus præſes ius dicebat. Exhibet autem breuis iſta narratio quis ferè ſit Conciliorum Antichriſtia-
rum exitus. Conſederunt paulò ante vt proceres & antiſtites eccleſiæ, Chriſtum de doctrina & di-
pulis examinarũt, perinde ac ſi eccleſiæ vnitas & populi ſalus ipſis quàm maximè cordi ſit: inter
non ſine manifeſto ſcelere falſos teſtes produxerunt, & tandem inſidioſis obteſtationibus & impio
uini nominis abuſu ex eius ore confeſsionẽ veritatis elicuerũt, qua ſe Dei filium & Meſsiam pa-
bus promiſſum eſſe teſtatus eſt: Qua audita, mox illum damnarunt, & ſeruis ſuis permiſerunt illu-
dendum: nunc ſummo mane in Prætorium abducunt, & prophano iudici occidendum tradunt. H
ordine & proceſſu iam ſeculis aliquot Romani Pontifices in ſuis Concilijs vſi ſunt, & hic ferè illo*

*eſt exitus. Vocantur enim, qui in ipſorum verba iam pridem iurarunt, epiſcopi & mitrati præſules: & hi eccleſiæ totius nomen atque authoritatem in ſe transferunt: ijdem verò ad ſuum quaſi forum citant quoſcũq; à Romana eccleſia diſſentire audiunt: eos examinant, vt ſchiſmatis aut hæreſeos accuſare poßint. Quòd ſi hac ratione nihil proficiant, non pudet illos dolis & mendacijs rem agere. Finguntur ergo falſa crimina, ſiſtuntur falſi teſtes, quæſtiones inſtituuntur inſidioſæ, quibus veritatis confeßionem extorquent etiam ab ijs, qui aliquandiu dißimulatione vſi ſunt. Quàm primùm verè hanc liberius proferri audiunt, mox hæreticos clamant, ab eccleſiæ ſocietate excludunt, & ſeculari iudici (vt ipſi loquuntur) occidendos tradunt, quos ipſi morte dignos iudicarunt. Exempla huius generis hiſtoriæ nobis proponunt non pauca, & vtinam nihil huius ſimile noſtro ſeculo accidiſſet. Sunt ergo ſtulti nimiùm (ne quid grauius dicam) qui hodie ſibi ex illorum Concilijs meliora pollicentur. Quid enim apud eos fiat aliud, qui reformationem nullam ferre poſſunt, & apud quos ſine periculo præſenti verum profari non licet? Cæterùm ſingulas huius partis circunſtantias excutiamus, quibus multa obſeruatu dignißima continentur.*

Qui nam Chriſtum Pilato adduxerint.

*Primò facti huius authores inſpiciendi veniunt. Inter quos primatum tenent ſacerdotes & ſcribe cum ſenioribus: quorum plerique tunc temporis erant ex Phariſæis. At Lucas populi quoque concurſum factum eſſe ſcribit, & inde communi omnium conſenſu Chriſtum ad præſidem Pilatum fuiſſe abductum. Vnde apparet, ſacerdotes noctu per ſuos emiſſarios populum ſolicitauiſſe, vt minus periculi illis eſſet, ſi publico totius ciuitatis conſenſu damnatus videretur. Quo loco conſiderandum venit indignißimum facinus ſacerdotũ, qui controuerſiam de Meßia patribus promiſſo (qua præcipuum fidei & religionis caput continetur) hominis Romani & à veri Dei cognitione alienißimi iudicio ſubijciunt. Obſeruari quoq; debet vulgi inconſtantia & leuitas, quando tam facilè in ſacerdotum partes tranſeunt, vt Chriſtum occidi curent, à quo tam multis tamq; eximijs beneficijs fuerant affecti. At quia de vtroq; in Marci expoſitione copioſius eſt dictum, hæc modò attigiſſe ſufficiat. Addamus autem his in præſenti, quantum poßint falſi antiſtites, qui ſub religionis prætextu ſuas res agunt. Iſti enim Iudæorũ animos à Chriſto alienant, & toti populo ſceleris immanißimi authores ſunt, propter quod non multò poſt funditus perierunt. Sic poſtea Romani Imperatores ab idolorũ ſacrificis & ſuperſtitionum miniſtris dementati Chriſtianam religionem perſecuti ſunt: quæ res Romano Imperio interitum attulit. Et hodie multos principes ab epiſcopis, & monachis, qui illis ſunt à confeßione, inſtigari videmus, vt euangelij doctrinam extinguere & ipſum Chriſtũ ex regnis ſuis eijcere conentur: qua temeritate ſibi ipſis Dei irã accerſunt, turbas & motus concitant, et in propria viſcera ſæuiunt, dum propter puriorem fidem atq; religionem eos occidũt aut eijciunt, quorum fides ipſis ſæpe perſpecta fuit. Ea tamen eſt mundi infelicis cæcitas, & tanta odij contra veritatem conceptio vis, vt quàmuis Pontificũ proditorias artes iam ſeculis aliquot reges & principes propè omnes experti ſint, paucißimi tamen inueniantur, qui oculos aperiant, et rectius ſapere diſcant. Digni ſunt ergo, qui impurißimis hominibus ludibrio ſint, & tandem dignas tyrannidis pœnas luant.*

Sacerdotũ ſedulitas contra Chriſtum.

*Deinde tempus quoq; diligenter notat Euangeliſta, & primo ſtatim diluculo hoc factum fuiſſe ſcribit. Vnde apparet, ſacerdotes & ſeniores noctem ferè totam in illo examinando & in conſultando conſumpſiſſe. Summo autem mane Pilato illum adducunt: nimirum, ne quam occaſionem ſibi ex manibus elabi patiantur. Sciebant enim ex peregrinis, quorum multi in ſingulas horas ad feſtum confluebant, pleroſq; Chriſto egregiè fauere, & eius fauoris ſpecimen viderant, quando venientem cum publico applauſu & acclamationibus ſolennibus exceperũt: qua de re Cap. duodecimo diximus. Volunt ergo præuenire, ne quis ipſorum conſilia interturbet, & Chriſti defenſionem ſuſcipiat. Eſt hæc impiorum ſedulitas & induſtria, cuius exemplum nuper quoque in Iuda & eius ſocijs vidimus, qui ad capiendum Chriſtum conuenerunt: & huius generis multa paßim occurrunt: quæ nos in eum finem obſeruare conuenit, vt partim vigilemus, ne nos ſuis dolis & artibus circunueniant: partim verò noſtræ nos ſocordiæ & ignauiæ pudeat, quam in cauſa bona & ſancta plerunque nobis obrepere patimur. Quid enim turpius eſt, quàm diaboli mancipia in patrandis ſceleribus nihil non tentare, vt ſuis votis & deſiderijs ſatisfaciant, Chriſti verò cultores in ijs ignauos & deſides eſſe, quæ cum Dei gloria & propria illorum ſalute coniuncta ſunt?*

Iudæi nolunt ingredi Prætorium.

Præterea memorabile quid de Iudæis interſeritur: nimirum quòd noluerint ingredi in Prætorium, ne polluerentur, & ita paſchatis comedendi occaſionem ſiue facultatem amitterent. Excludebantur enim ab eius eſu, qui aliqua legali immunditia polluti erant. At quod iſti faciunt, nullius legis authoritate nitebatur. Hæc enim loca iuſtitiæ ſacra nuſpiam pro impuris cenſere iubet, neque etiam prohibet, quò minus aliquis domum hominis ethnici iuſtis de cauſis ingrediatur. Vnde apparet, traditionē hanc à patribus acceptam fuiſſe. Edunt ergo hîc ſanctimoniæ fucatæ ſpecimen, quam illis Chriſtus non vno loco exprobrauit. Quid verò ab illis fieri poterat abſurdius & inconſideratius? Metuunt ne ex domus contactu polluantur, ex ſanguinis autem innoxij effuſione pollutionem non metuunt. Et ne traditionem patrum tranſgrediantur, hoc tempore Prætorium ingredi nolunt: ijdem verò Dei legem, qua ſanguinem fundere prohibentur, audacter negligunt. Rectè ergo D. Auguſtinus exclamauit: O impia & ſtulta cæcitas: habitaculo videlicet contaminarentur alieno, & non contaminarentur ſcelere proprio? Quibus & illud Cyrilli addito: Cauent pollutionem, vt agnum Chriſti typum comedant, interim in ipſam veritatem inſaniunt. Sunt hi mores hypocritarum. Metuunt pollutionem externam, & vt foris mundi videantur diligentiſſimè ſtudent, nihil interim ſoliciti de animi munditia & morum integritate, ſine quibus Deo probari impoſſibile eſt. Deinde hominū traditiones anxiè obſeruant, Dei verò leges abſq; metu omni tranſgrediuntur. Deniq; in externis ceremonijs nihil non faciunt quod apud ſuperſtitioſos receptum vident: vera autem & præcipua cultus diuini exercitia & veræ pietatis capita ſecurè contemnunt. Similis planè eſt hodie monachorū ſanctimonia, quibus inexcuſabile ſcelus videtur cibos vetitos guſtare, veſtitum mutare, aut quacunq; in re aliquid contra ordinis ſui ſtatuta facere: at iiſdem luſus iocuſq; videtur ſectari, toros alienos polluere, inebriari, doctrinam verbi Dei corrumpere, ſacramentorum vſum verum abolere, ſacra omnia venalia habere, deniq; leges cùm diuinas tum politicas contemnere. Imitantur hos, quicunque eos ſibi doctores atq; magiſtros proponunt. Quibus etiam adnumerari debent, qui toti circa ſacramenta occupantur, horum dignitatem extollunt & externum eorundem vſum magnificè commendant (quod per ſe non præter cauſam fieri, ſed neceſſarium eſſe fatemur) interim verò Chriſti meritum euacuant, dum quod huic vni debetur in illis quærere docent, & eccleſiæ concordiam ſcindunt, cuius hæc vincula firmiſſima eſſe debebant: imò dum pro ſacramento corporis & ſanguinis Chriſti pugnare videri volunt, in viua Chriſti membra hoſtiliter ſæuiunt, pro quibus ille ſanguinem ſuum effudit. Cæterùm vt Iudæi iſti hoc ſuo facto ſeipſos damnarunt, & à propria conſcientia accuſati ſunt, dum eo tempore ſanguinarijs cōſilijs occupantur, quando ſanctimoniæ veræ imprimis debebant ſtuduiſſe: ita omnes illi proprio teſtimonio ſeſe condemnant, dum religionis & pietatis ſtudium profitentur, vera autem eius officia tam impudenter negligunt. Diſcamus ergo omiſſis ſuperſtitionibus veram purificationem ſectari, quæ ex fide in Ieſum Chriſtū dependet, & intra animos noſtros ſpiritu perficitur, atq; inde ſeſe in totā vitam diffundit. Quoad verò externa diuini cultus exercitia & ſacramentorum vſum, caueamus diligenter, ne illa temere prophanemus, dum ad ea indignè accedimus. Si enim ad epulum paſchale olim acceſſuris munditia & ſanctificatione opus fuit: quantò magis nos his ſtudere debemus, qui in Chriſto Ieſu paſcha habemus multò præſtantius & ſalutarius? Vide in priori ad Corinth. cap. quintum & vndecimum.

Pilatus ad Iudæos egreditur.

Tranſeamus nunc ad alteram huius loci partem, quæ primam actionem Pilati cum ſacerdotibus & ſenioribus Iudæorum continet, in quam multa incidunt conſideratu digniſſima. Primum autem ipſe Pilatus ſeſe offert, qui ad illos foras exiuiſſe dicitur: quod magnum eſt modeſtiæ argumentum. Poterat enim illos viciſſim ipſe etiam contemnere & abominari, cùm ſe illis abominationi eſſe videret, aut ſaltem eos in aliud tempus reijcere. Sed patienter fert illorum ſuperſtitiones, quarum obſeruatores pertinaciſſimos eſſe ſciebat, & egreſſus ad eos amicè interrogat, quam accuſationem aduerſus Chriſtum afferant. Et in hoc quidē boni iudicis officio fungitur, dum neq; inſolentius ſuo abutitur imperio, neq; moras nectit in cauſa, quam ab illis tanto ſtudio agi videbat: ſimul verò cauet ne quid præcipiti iudicio agat, & non ſine diligenti inquiſitione captiuum ad ſeruitutem. Imitentur exemplum hoc omnes, qui in magiſtratu ſunt conſtituti. Nihil enim eſt, quod populi animos illis magis conciliet, quàm modeſtia cum grauitate cōiuncta: qua olim Alexandrū illum magnum ſuorum mentes imprimis ſibi deuinxiſſe hiſtorici teſtantur. In iudicijs autem inquiſitione diligenti

genti quàm maximè opus eſt, eò quòd multa occurrunt, quibus iudicum oculi excæcantur, niſi in rem præſentem totis animis incumbant. Nam vt aduocatorum artes, munerum corruptelam, lucri priuati ſpem, veteres inimicitias & infinita alia huius generis omittamus, ipſe perſonarũ conſpectus & ex rumore prius audito factum præiudicium, ita ſæpe iudicum animos occupant, vt quod in ipſa cauſa verum & rectum ineſt videre non poßint. Non temere ergo olim Deus in Lege monuit, vt iudices abſq; omni perſonarum reſpectu cauſas audiant, tam paruum quàm magnum inquirant, & affectibus ita imperent, vt nulla pauperum quoq; commiſeratione tangantur.

Sacerdotũ inſolentia & iniquitas.

Cæterùm conferamus nunc cum Pilato ſacerdotes & ſeniores Iudæorum, quos præ omnibus aliis iuſtitiæ & iuris publici obſeruantißimos eſſe conueniebat, cùm in Dei populo primatũ tenerent. Quid verò illi Pilato reſpondent? Niſi iſte eſſet maleficus, non tibi tradidiſſemus eum. Quod quid aliud eſt quàm ſi dixiſſent: Quid quæſtione iſta opus eſt? quin ocyus illum ad crucem rapis? Aut num noſtra fides tibi adeò ſuſpecta eſt, vt iudicij noſtri rationem à nobis requiras? At quid obſecro inſolentius, quid iniquius & iniuſtius dici poterat? Primò maleficum dicunt, cuius innocentia in Concilio ipſorum pluribus argumentis perſpecta fuerat, & cuius innumera extabant in totam Iudæorum gentem beneficia. Ergo illorum iudicio maleficium erat claudos reſtituere, cæcorum oculos & ſurdorum aures aperire, mutorum linguas ſoluere, leproſos mundare, mortuos excitare, ab obſeßis & furioſis dæmones eijcere, peccatores in iuſtitiæ viam reuocare, veritatis doctrinam prædicare, & quorumuis ad ſe venientium ſaluti conſulere. Deinde ſuperbè & inſolenter nimis ſuam authoritatem vrgent, & hanc abſq; ampliori inquiſitione recipi, moxq́ue occidi volunt, quem ipſi ſua ſententia damnarunt. Tyrannidem ergo in eo populo affectant, qui propter amiſſam priſtinam libertatem & impoſitos ſibi Romanos præſides iam ante plus ſatis miſer erat. Quid enim hæc eorum reſponſio à vulgari tyrannorum dicto differt, Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas? Accedit his impudentia & temeritas intolerabilis, qua Pilato præſcribunt, & eo pro lictore abuti volunt, penes quem ſummum erat tunc temporis in ea gente imperium. Vt enim carnifices mox ducere iubentur eos, quos iudicum ſententia damnauit, neque illis aliqua iudicij aut ſententiæ pronuntiatæ ratio redditur: ita illi Pilatum ſuæ ſententiæ executorem eſſe volunt, & iniuriam ſibi fieri arbitrantur, quòd in illam inquirat. Ita verò ſolent impij, quando ſe in aliquo dignitatis gradu conſtitutos eſſe vident. Nec enim vllis rationibus reprimi poſſunt & intra officij ſui limites contineri, qui Dei timorem animis ſuis excuſſerunt. Quò magis annitendum eſt ijs, qui ſummam in aliquo populo poteſtatem obtinent, ne tales euehant, aut ſua ignauia illos emergere patiantur. Exhibetur autem nobis hîc quoque euindens typus eorum, qui hodie fidei & religionis antiſtites atque defenſores videri volunt, epiſcoporum & monachorum, quos illi hæreticæ prauitatis inquiſitores conſtituunt. Sumunt hi quoque ſibi ius in quoſuis, & apud ſua tribunalia fidei & doctrinæ rationem reddere cogunt, quoſcunque à ſuis traditionibus diſſentire ſuſpicantur. Vt primùm verò aliquos ſeceßionem feciſſe vident, mox hæreſeos damnatos capitalium cauſarum iudicibus tradunt: non quidem vt hi in hos diligentius inquirant, ſed vt igne aut ferro tollant, quos ipſi morte dignos pronuntiarunt. Quòd ſi quis cauſam propius inſpici & cognoſci velit, illico ſuam authoritatem illi vrgent, & indignum putant nouam inquiſitionem inſtitui. Et vtinam ea eſſet hodie principum Chriſtianorum æquitas atque moderatio, quæ in Pilato fuit. Is enim non tanti facit iſtorum dignitatem, vt in hominem ignotum aliquid durius ſtatuat, priuſquàm cauſam ipſe cognouerit. At hodie pleriq; principes tunc demum ſe Chriſtianos & catholicos (vt ipſi loquuntur) eſſe putant, ſi ex iudicibus lictores fiant, & abſque vlla inquiſitione ad ignes & gladios rapiant, quoſcunque perſonati illi præſules damnauerunt. Quò fit, vt & horum tyrannidem ſtabiliant, & ſemetipſos ſanguine innoxio polluant, & plerunq; ſibi turbarum atque interitus authores ſint.

Pilatus ſacerdotum inſolentiam reijcit.

Audiamus ergo Pilatum, qui iſtos cum indignatione & Sarcaſmo ſatis acerbo reijcit, dicens: Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram iudicate eum. Non autem eo ſenſu hoc dicit, quòd illis hominem inſontem indicta cauſa occidendi poteſtatem faciat: ſed (vt diximus) rei indignitas illi has voces extorſit, ſimulq́; eorum iniquitatem arguit, qui Lege Dei gloriabantur, & gentibus religioſis ſanctiores volebant videri. Senſus ergo verborum eſt: Video vos cauſæ veſtræ ita fidere, vt in ſententiam quam tuliſtis, inquiri nolitis. Sed non hic Romanorũ mos eſt, qui cauſas cognoſcere, et

*vtramque partem audire conſueuerunt. Quòd ſi veſtra Lex, quam à Deo patribus traditam ia*ctatis *diuerſum iubet, egregia (ſi Dijs placet) illa Lex eſt: & illa fruamini per me licet, ego autem huic ſubſcribere nolim. Nec temere hæc Pilatum dixiſſe putabimus. Scimus enim Romanos iuſtitiæ publicæ & iudiciorum in prouincijs vindices ſeuerißimos fuiſſe. Et L. Flaminium ſe-natu motum fuiſſe tradunt hiſtorici, quòd iure damnatum ſecuri percußiſſet, tempore ſupplicij ad arbitrium & ſpectaculum meretriculæ electo. Meritò igitur legum ſeueritatem Pilatus veritus iſtorum poſtulationem reijciendam putauit. Debent autem illius exemplum imitari iudices, ne ali-cuius authoritate ſe grauari patiantur, neue iudicia temere præcipitent. Turpis enim & imme-cabilis error eſt, qui præcipiti feſtinatione committitur, quando matura & diligenti delibera-tione opus erat. Imprimis verò obſeruari debet, quòd legem ipſorum illis tam amarulenter Pilatus ex-probrat. Illorum ergo improbitate factum eſt, vt homo prophanus legis diuinæ ridendæ occaſionem haberet. Et ita rurſum impletur quod olim per Malachiam queſtus erat Dominus, nomen ſuum à Iudæis potißimùm prophanari, cùm illud apud omnes gentes honorificum habeatur. Sed quàm vul-gare illud eſt hodie? Quis enim non videt Iudæos & Turcas ridendi Chriſtiani nominis occaſionem ex Papiſtarum ineptis ſuperſtitionibus & craßißimo idolorum cultu arripere? Similiter verò qui Euangelij & religionis reformatæ titulo ſeſe venditant, eandem occaſionem Papiſtis præbent, dum ſub Euangelicæ libertatis prætextu effrænem peccandi licentiã ſectantur. Sunt hæc ſcandala omni-nocentißima, quæ Deus impunita non ſinet, niſi ad mentem meliorem conuerſi ita viuamus, vt no-men eius per nos & mores noſtros glorificetur.*

Iudæis non li-cuit quenquam occidere.

*Sed redeamus ad Iudæorum primates, qui Pilato ogganniunt: Nobis non licet occidere quen-quam. Sentiunt ergo ſe ab illo perſtringi & pungi, culpam tamen non agnoſcunt, quin potius ſe ad ſce-lus patrandum paratos fore teſtantur, modo id per Romanos liceret. Adeò nihil pudet eos, qui pie-tatis veræ ſenſum ſemel excuſſerunt. Interim admonet Ioannes hæc non temere facta fuiſſe, ſed ita fieri oportuiſſe, vt ſermo Chriſti impleretur, quo prædixerat qua morte ipſum mori oporteret. Præ-dixerat autem ſe gentibus tradendum fore, & in cruce moriturum eſſe. Hæc autem in mentem no-bis reuocat Ioannes, & ſimul ad æternum Dei decretum remittit, ne crucis ignominia offendamur. Quod vt in præſenti hiſtoria ſemper nobis ob oculos verſari debet, ita in noſtris quoq; afflictionibus meminiſſe debemus, nihil nobis ſine certo Dei conſilio accidere. Obſeruemus autẽ hoc loco, vt Deus impiorum conſilia ludificare ſoleat. Voluerunt iſti Chriſtum non clàm occidere, ſed Pilato cruci-gendum tradere, vt crucis infamia eius nomen atq; doctrinam obſcurent & exoſam reddant. Sed ita impletur, quod de filio ſuo Deus ſtatuerat. Aſſeritur enim multorum teſtimonijs illius innocentia, ipſorum autem arguitur improbitas: Chriſtus item exaltatus omnes ad ſe traxit, ſicuti Cap. duo-decimo prædixerat. Exempla huius generis multa nobis hiſtoriæ exhibent. Simus ergo fortes in Do-mino, cuius potentia & miſericordia perpetuò durat, & qui ſuos perire non ſinet, quos ſanguinis ſui pretio acquiſiuit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

## HOMILIA CLXII.

Introiuit ergo rurſus in Prætoriũ Pilatus, & uocauit Ieſum dixitq; ei: Tu es Rex ille Iudæorũ? Reſpondit ei Ieſus: A te ipſo tu hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Reſpondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus ſum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi. Quid feciſti?

*EVangeliſtæ paßionis & mortis Dominicæ hiſtoriam ſic deſcribunt, vt ſimul Chriſti exem-plo doceant, quæ piorum in terris conditio ſit, & ad quæ certamina illi præparari debeant. Hoc autem imprimis facit actio, quæ coram præſide Pilato aduerſus illum inſtituta fuit. Fuerunt in ea (vt nuper audiuimus) actores ſummi ſacerdotes & Seniores Hieroſolymitani, qui nomine to-tius populi illum ceu maleficum & extremo ſupplicio dignum Romano præſidi tradiderunt. Dixi-de his nuper, quòd Pilato capita accuſationis requirenti, arroganter ſuam authoritatem obiecerint, & abſque ampliori inquiſitione mox ad mortem abripi voluerint, quem ipſi in ſuo Conciliabulo ini-*

*quißima*

iniquiſsimis ſententijs damnauerant. Habet enim hoc proprium hypocriſis, quòd ſuperbiæ ſpiritu inflat, & ab omnibus probari vult quodcunque illa ſemel conſtituit. At hîc non minus fortiter quàm iuſtè agit Pilatus, quando non ſine ſtomacho poſtulationem illorum iniquiſsimam reijcit. Coguntur ergo accuſationem legitimam inſtituere, & cauſas proferre, quibus probent illũ mortis ſupplicium meruiſſe. Quia autem non habent quod in eo verè accuſent, ad mendacia confugiunt, & falſis criminibus eum grauant, ſicuti apud Lucam eſt videre, qui illos in hæc verba locutos eſſe ſcribit: Hunc comperimus peruertere gentem, ac vetare tributa dare Cæſari, dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe. Ergo de duobus grauiſsimis ſceleribus illum accuſant, quòd nimirum falſa & erronea doctrina populum ſeducat, & aduerſus magiſtratum ſeditioſè inſurgat, adeoque ex priuato affectu regnum aut tyrannidem ad ſe transferre conetur. Elucet autem in his magna Iudæorum impudentia, quando non falſa modò crimina ei intendunt, ſed ea ipſa nominare audent, quorum reatu ſeipſos imprimis teneri ſciebant. Quis enim neſcit, populum Dei per ipſos nouis traditionibus ſeductum, in diuerſas ſectas ſciſſum, & religionem omnem in quæſtum fuiſſe conuerſam? Quoad verò regni affectationem, commune hoc gentis totius vitium fuit, quòd Romanæ tyrannidis impatientes, illius iugum quouis modo excutere conabantur, & quoſuis obuios admittebant, per quos aliqua libertatis ſpes ipſis offerebatur. Chriſtus autem vt legis doctriuam veterem reducebat, ita ne quam exempli mali aut ſeditioſi ſpeciem præberet, ſub cenſu naſci voluit, cenſum ipſe perſoluit, & de eo interrogatus ſoluendum eſſe docuit: imò cùm nonnulli ipſum regem creare vellent, ab eorum conſpectu ſeſe ſubduxit, ne quam publici motus occaſionem daret. Erant hæc omnibus notiſsima: non verentur tamen illi Chriſtum de iſtis accuſare, vt planè conſtet eos cum pietate omnem pudorem quoque exuiſſe. Nos autem in Chriſti exemplo obſeruabimus, quibus criminibus eius miniſtri & cultores ferè grauari ſoleant. Præcipuum ex ijs eſt, quòd falſa dogmata ſpargant, hæreſes & ſchiſmata inducant, & eccleſiam Dei perturbent. At quia de his non multum ſoliciti ſunt principes & viri politici, alia quoque fingunt, quæ iſtorum quoque animos aduerſus veritatem excitent. Seditionis ergo accuſantur, quòd magiſtratus authoritatem conuellant, inobedientiæ publicæ authores ſint, pacem publicam conturbent, quodq; ipſi pro ſuo arbitrio omnibus imperare velint. Sunt hæ veteres calumniæ, quibus olim Moſem, Aaronem, prophetas, & poſtea Apoſtolos quoque & ſanctos Chriſti martyres grauatos fuiſſe ſcimus. Et hodie iſta omnium auribus ingerunt aduerſarij noſtri: neque pudet eos nobis falſæ doctrinæ & ſeditionis crimen intendere, cùm omnibus conſtet, nos ſolum Chriſtum prædicare, qui ipſiſsima eſt veritas, & totos in hoc eſſe, vt & reſpublicæ ſeruentur, & ſua magiſtratibus authoritas ſalua atque integra maneat. Imò iſta nobis obijciunt, qui iam pridem veritatis doctrinam humanis traditionibus corruperunt, & eccleſiæ vnitatem in ſectas & monachorum ordines inter ſe diuerſiſsimos ſciderunt, qui denique toti in eo ſunt, vt vrbes, populos, principes, adeoq; ipſos reges & Imperatores in ſeruitutem redigant, & ad pedum ſuorum oſcula compellant. Sed tunc nos ad vetera exempla & ea quæ Chriſto acciderunt reſpicere oportet, ne his ceu nouis & inſolitis offendamur. Videamus autem quid in iſta actione Pilatus, quid item Chriſtus fecerit, & mox tam iudices quàm pij intelligent, quid ipſos in ſimili caſu facere conueniat.

*Chriſtus accuſatur, quòd ſeducat populũ, & regnum affectet.*

Pilatus Prætorium rurſus ingreditur, & Ieſum ad ſe vocat, vt cum eo agat priuatim ſemotis importunis illis accuſatoribus. Quod ideò illum feciſſe puto, vt commodius illum de ſingulis interrogare poſſet, & ille meliorem haberet ſui defendendi & excuſandi occaſionem. Vt ergo prius Iudæis gratificatus eſt, dum ad illos exiuit: ita nunc captiui quoque rationem habet, ne aliquorum importunitate obruatur. In hoc autem optimi & æquiſsimi iudicis exemplum præbet. Decet enim iudices in controuerſijs hoc potiſsimùm agere, vt cauſæ veritas cognoſcatur: ne vel ignorantia decepti, vel prauo aliquo affectu abrepti, ſententiam iniquam ferant. Quia autem frequenter fit, vt accuſatores ſua authoritate multorum oculos perſtringant, aut etiam importunis clamoribus & minis reos perterrefaciant, interdum quoque ſophiſticis & ſubdolis actionibus circunueniant & rerum incertos reddant: ibi iudices prudentiæ memores eſſe conuenit, & importunos illos compeſcere, vel ad tempus excludere, erga reos autem facilitate aliqua & humanitate vti debent, vt omnibus quæ in vtram partem dicuntur, probè cognitis & examinatis, verum facilius depre-

*Pilatus Chriſtũ ſeorſim ſolus audit.*

*hendant. Et hoc quidem Pilatus non ſine fructu fecit. Ex amica enim iſta collatione mox intellexit (ſicuti apud Matthæum annotatur) Chriſtum innocentem eſſe, Iudæos autem omnia ex inuidia & odio agere. Quòd ſi ad hunc modum perrexiſſet, nunquam tanto ſeſe polluiſſet ſcelere, ex quo ſempiternam infamiæ notam ſibijpſi accerſiuit. Peccant ergo in ipſo limine iudices, qui vt primum accuſatores audiuerunt, mox iræ flammas aduerſus reos concipiunt, iram fremitu produnt, aut etiam duriſſima quæq; minantur, vt iam non iudices, ſed ex actorum numero videri poſſint. Verò in ipſo iudicum cōſeſſu iſta caueri debent, ita imprimis modeſtia & humanitate eos vti decet, qui quæſtionibus præfecti ſunt, & ſcelerum confeſſionem à reis exigunt. Niſi enim quæſtionum ſeueritas prudenti facilitate temperetur, nimio rigore & comminationibus eos qui natura timidiores ſunt facilè terrebunt, vt ſeipſos falſis criminibus grauent, & pœnas quas nunquam meruerunt in ſe ſuſcipiant.*

**Interrogatur Chriſtus de regni affectatione.**

*Porrò quoad Pilatum, omiſſis omnibus alijs, quæ Iudæi importunis clamoribus propoſuerant, totius negotij caput aggreditur, & de regni affectatione Chriſtum interrogat. Tu (inquit) es rex ille Iudæorum? Habet autem Emphaſim articulus Græcus, quem nos per demonſtratiuam particulam* ILLE *reddidimus. Vulgò enim omnibus notum erat, Iudæos regem à prophetis olim promiſſum expectare, qui populi vindex & ſeruator eſſet. Errabatur autem in eo, quòd regem hunc putarent fore terrenum, qui eiectis Romanorum præſidijs & deſtructa imperij Romani tyrannide, Iudæos in priſtinam libertatem aſſereret, & inter eos regnum conſtitueret victorijs, opibus & ſplendore externo illuſtre, quale olim ſub Dauide & Solomone fuerat. Quæ opinio Herodi quoque aduerſus Chriſtum recens natum ſæuiendi occaſionē præbuit: quòd nimirum regno ſuo timeret, quod illi Romani donauerant. Et eadem nunc Pilatum mouet, vt Chriſtum de rege illo Iudæorum imprimis examinandum putet. Vbi obſeruari debet, quantùm noceant falſæ de Chriſti regno opiniones. Nec enim ijs modò imponunt, qui his imbuti ſub eius nomine terrena commoda quærunt: verum etiam hoſtibus ſiniſtras ſuſpiciones mouent, quæ interdum publicorum malorum & grauiſſimarum perſecutionum cauſæ ſunt. Sed de regno ſuo & eius conditione Dominus ipſe poſtea diſſeret, nunc Pilati exemplum denuo inſpiciant iudices, qui eo de duobus obſeruatu admodum neceſſarijs admonentur. Primum eſt, vt in actionibus forenſibus caput totius negotij inſpiciant, omiſſis alijs, quæ actores inuidioſè admiſcent, vt reos ipſis inuiſos & exoſos reddant. Ita minus falli poterunt, & verum facilius deprehendent, atque cauſas, quæ initiò inextricabiles videbantur, abſque mora & non multo negotio expedient. Alterum, vt diligenter obſeruent turbulenta ingenia & ſeditioſos homines, qui rebus nouis ſtudent, & rempublicam temere inuadunt. Sunt hi omnium mortalium nocentiſſimi, & niſi illis occurratur in tempore, multos etiam non omnino malos ſuis dolis & pollicitationibus in ſceleris ſocietatem trahunt. Exempla paſſim in hiſtorijs occurrunt, quæ docent, eiuſmodi ingenia plus ſemper mali dediſſe, quàm hoſtes exteros, qui aperta vi regna aut reſpublicas opprimere conati ſunt. Prudenter ergo à Romanis factum fuit, qui per prouincias præſidia militum diſponere ſolebant, qui ſeditioſorum conatus reprimerent, & quoſuis in officio continerent. Quod illos in Iudæa ſingulari ſtudio feciſſe conſtat, eò quòd illam gentem natura ad ſeditiones procliuem eſſe ſcirent. Rectè etiam Pilatus in hoc potiſſimùm accuſationis caput inquirit, quo Iudæi Chriſto ſeditionis & affectatæ tyrannidis crimen intendebant.*

**Chriſtus Pilatum officij admonet.**

*Et ſanè ipſi Chriſto hoc eius ſtudium probatum fuiſſe apparet. Quia enim illum nihil præter officium facere intelligit, amicè ſimul & grauiter ei reſpondet. Primò enim non obſcurè illum officij admonet, vt eius memor, nō patiatur ſe aliò abduci, neq; ſe alicui ſeducendum præbeat. Aliam enim quæſtionem Pilato opponit, dicens: A teipſo tu hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Quaſi diceret, Quid hac quæſtione opus eſt, cùm nihil vnquam à me dictum aut factum ſit, cuius ergò in regni affectati ſuſpicionē venire debuerim? Velim ergo audire, tune iſtud ex temetipſo finxeris, aut alij ſuis delationibus hanc tibi mouerint ſuſpicionē? Quòd ſi tu eam temere concepiſti, purgatione multa minimè opus eſt. Scis enim iudices à ſuſpicionibus debere alieniſſimos eſſe, neq; eas in conſilium admittere, quando de alicuius hominis vita & honore aut fortunis agitur. Quòd ſi verò alij iſtud tibi retulerunt, iam illorum fuerit crimen probare, quod mihi intendunt: tuum autem erit videre, ne ſua*

autoritate

authoritate tibi oculos perſtringant, & ne quid facias in illorum gratiam, quod à boni & æqui iudicis officio alienum ſit. Hic (inquam) verborum Chriſti ſenſus eſt: Nos autem illius exemplo docemur, licere interdum ijs, qui in iudicio ſiſtuntur, vt liberius ipſos etiam iudices officij admoneant & vel ſuſpiciones temere conceptas diluant, vel ſomnum & oſcitantiã excutiant, quæ interdum illis obrepere conſueuit. Et qui verè ſapiunt, id non indignè ferunt, quo ſibi non raro opus eſſe experiuntur. Cuius rei memorabile exemplum in Philippo Macedonum rege habetur. Qui cùm aliquando temulentus pro tribunali cõſediſſet, mulierem quandam immerenter damnauerat. Illa verò exclamauit: Prouocarem ad Philippum, ſed ſobrium. Quo dicto crapulam oſcitanti excuſſit, ebriumq́ tandẽ reſipiſcere & cauſa diligentius inſpecta æquiorem ſententiã ferre coegit. Fuit hoc in Philippo animi egregij & honeſti indicium, quo ſi præditi eſſent quotquot hodie iudicia publica adminiſtrant, maior eſſet legum bonarum authoritas, plusq́ in illis præſidij inuenirent optimi quiq́ aduerſus improborum calumnias.

Pilatus Chriſti admonitione offenditur.

Cæterùm in hoc peccare incipit Pilatus, qui leni iſta Chriſti admonitiuncula offenſus, non ſine ſtomacho reſpondet: Num quid ego Iudæus ſum? gens tua & pontifices tradiderunt te mihi, &c. Ita verò dicere videtur: Tu quidem audacter nimis iſta loqueris. Quid enim quærere opus eſt, an à meipſo te de iſtis interrogem? Num me Iudæum eſſe arbitraris, qui veſtris de Meſſia vaticinijs aut figmentis aliquid tribuam? Equidem homo Romanus ſum, & huic terræ præfectus, non vt veſtris ſuperſtitionibus me immiſceam, ſed vt ius dicam, pacem publicam conſeruem & ſeditioſè tumultuantes in officio contineam. Et per me quidem vobis quieſcere licebat, neq; tibi ex me aliquod periculum imminebat, qui veſtras de doctrina & cultu veſtro concertationes non multùm moror. Sed gens tua & qui inter vos ſunt ſacrorum antiſtites te mihi tradiderunt. Iſti turbæ huius authores ſunt, iſti te de regno affectato accuſant, & te mox ad ſupplicium abripi volunt. Quid ergo feciſti? Certè magnum quid deſignaris oportet, quòd iſti omnes in tuum caput conſpirauerunt. Ad hoc igitur diſertè reſpondeto, omiſſis quæſtionibus nouis, quæ nihil ad me pertinent. Hæc & alia Pilatum iam animo voluiſſe apparet, quæ animum cõmotum indicant, & aliqua iam ſuſpicione occupatum. Et hoc illi lapſus grauioris initium fuit. Quàm primùm enim affectibus vel modicum indulgetur, mox viribus nouis augentur, & quod in nobis reliquum erat ſanioris mentis paulatim totum extinguunt. Principijs ergo obſtare conuenit, & tum minori negotio mala aut ſcelera grauiora cauebimus.

Chriſti innocentia.

Interim verò non oſcitanter expendi debet Pilati dictum: Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi. Nam hoc dicendo, primùm de Chriſti innocentia teſtimonium fert, qui ita vixerit, vt ipſe nihil de eo coercendo cogitaturus fuerit, ſi alteri illi quieuiſſent. Quod vnum omni affectatæ tyrãnidis ſuſpicione illum abunde liberat, quando tale quid conantẽ impoſſibile erat latêre, cùm Romani per omnes propè vrbes præſidia cum ſuis tribunis & centurionibus diſpoſita haberent, qui ſi quid huius fieret, mox rem omnem ad ſummũ eius regionis præſidem referebant. Deinde omnem Chriſti capti & occiſi culpam in Iudæos, & quidem in horum antiſtites transfert, quos illius acerrimos hoſtes eſſe teſtatur. Ita verò impleri oportebat, quod olim Dauid prædixerat: fore nimirùm, vt ipſi ædificantes vel architecti lapidem illum reprobarent, quem Deus caput anguli conſtituerit. Facit autem hoc ad aſſerendam Dei iuſtitiam, qua non multò poſt Iudaicæ gentis ingratitudinem atque impietatem puniuit. Quo enim ſupplicio non digni fuerunt, qui ex ipſis natum gratiæ mediatorem perſecuti ſunt, & illum Romanis nihil tale petentibus, imò etiam reluctantibus, crudeliter occidendum tradiderunt? Simul autem obſeruabis hoc loco cõmunem ſortem piorum, qui ferè hoſtes ſentiunt ſuos domeſticos, conciues & conterraneos, quibus defenſoribus potius vti debebant. Exempla huius rei funeſta admodum in omnibus propè regnis videre licet, quando multos non pudet exteros hoſtes in patriæ communis viſcera adducere, aut conciuibus ſuis apud exteros lites mouere nunquam finiendas, vt euangelij doctrinam & eius ſectatores extinguant. Sed meminerint illi, Deum non dormitare, & ipſorum perfidiam dignis ſupplicijs aliquando vlturũ eſſe. Imò videmus frequenter fieri, vt quæ illi occulta putant, ij in publicum prodant, cum quibus illi coniurauerunt. Et vt in præſenti Pilatus Iudæos accuſat, ita interdum exteros de illorum perfidia teſtari audimus, per quos ad arma euocati ſunt. Denique vt Deus Iudæorum impietatem exemplo horribili puniuit, ita nunquam impunitos

*dimittet eos, quicunq; mores illorum imitantur. Neminem ergo perfidi impiorum conatus terreant. Viuit enim & regnat rex gloriæ Ieſus Chriſtus, qui gentium cõſilia ſolo nutu diſſipat, & qui ferreo ſceptro vt vaſa teſtacea omnes eos conteret, qui ſuaue ipſius iugum ferre nolunt. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

## HOMILIA CLXIII.

Reſpondit Ieſus: Regnum meum non eſt ex hoc mundo. Si ex hoc mundo eſſet regnũ meum, miniſtri mei certarent ne traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc. Dixit ergo ei Pilatus: Num igitur Rex es tu? Reſpondit Ieſus: Tu dicis quòd Rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc ueni in mundum, ut teſtimonium dem ueritati. Omnis qui eſt ex ueritate, audit uocem meam.

*DAuid rex & propheta in Pſalmo ſecundo de filij Dei & redemptoris noſtri regno vaticinaturus ſic orditur: Quare fremuerunt gentes, & populi meditantur inania? Concurſant reges terræ, & principes vnà conſultant aduerſus Dominum & aduerſus vnctum eius. Quibus verbis docet, illum quidem regem fore, ſed nunquam defuturos eſſe in hoc mundo, qui regnum eius oppugnent, & illum ſuper ſe regnare nolint. Et eſt hæc vnica cauſa diſſidiorum atq; contentionum, quibus orbis terrarum circa fidei & religionis negotium turbatur. Ipſo certè in terris agente hæc cauſa maxime agitata fuit. Cur enim illum extinctum voluerunt phariſæi, ſcribæ & ſacerdotes? Nimirum quia eius ſceptro reformari & regi noluerunt. Quin ijdem coram Pilato hoc crimine illum maxime grauant, quòd regnum inter Iudæos affectet, & in hoc potiſſimùm Pilatus inquirit. Similiter poſtea ſub Romanis Imperatoribus hæc præcipua omnium perſecutionum cauſa fuit, quòd Chriſti doctrinam regnis ſuis & publicæ paci aduerſam eſſe pleriq; putarent. Et hodie de hoc paſſim cõtenditur, quia alij Chriſto regnum omne vendicare ſtudent, quoad noſtræ ſalutis negotium, alij verò hoc illi eripere conantur. Turcæ enim hanc gloriam ſuo Mahumeti, Iudæi fictitio ſuo Meſſiæ tribuunt, quem inſtar principum huius terræ regnaturum eſſe fabulantur. Inter eos autem, qui Chriſtiani dici haberi volunt, pleriq; perſonatum Chriſti vicarium fingunt, cui vniuerſum eccleſiæ imperium tribuunt, quem adorant & colunt, & apud illum ea quæri debere contendunt, quæ Chriſtus nobis acquiſiuit. Ex ijs verò, qui rectius ſentire videntur, multi tamen in Chriſto huius vitæ cõmoda ſperant, & in terrena potius quàm cæleſtia bona intenti ſunt. Quæ cauſa eſt, quòd aduerſariæ partis ſplendorem & magnificentiam admirantur, offenduntur autem cruce, quæ piorum indiuulſa comes eſt, & proinde à fide turpiter deficiunt. Eſt ergo multa conſideratione digniſſima actio Chriſti coram Pilato, & in ea præſens imprimis locus, quo ipſe Dominus regni ſui conditionem & myſteria exponit, ſimulq; docet quid in illo quærere aut ſperare debeamus.*

Colloquium Chriſti cum Pilato de regni ſui conditione.

*Occaſionẽ verò huic tractationi dedit Pilatus, quem Chriſti admonitione nonnihil offenſum fuiſſe, & non ſine ſtomacho interrogauiſſe audiuimus, quid nam ipſe fecerit, cuius ergò de regni affectatione accuſetur. Quàmuis autem non obſcurũ animi prophani indicium illic dediſſet, non tamen illum faſtidit Dominus, & ne ipſe illi ſceleris mox ab eo cõmiſſi occaſionem aliquam dediſſe videatur, amicè admodũ & diligẽter huius Tragœdiæ cauſas ſimul & regni ſui myſteria explicat. Regnum meum (inquit) non eſt ex hoc mundo, &c. Senſus eſt: Scio me accuſari, quòd regnũ inter Iudæos affectem, & tu rectè quidem atq; ex officio in hoc crimen inquiris. Atqui ego regnum mihi deberi minimè nego: id verò non eiuſmodi eſt, quod vel tibi vel Imperatori tuo Tiberio ſit formidandum. Nam non eſt ex hoc mundo, & proinde huius mũdi regnis eorumq; gubernatoribus nihil incõmodat. Hoc autem quod dixit probat argumento, quod ex communi regnorum huius mundi conditione regumq; moribus deſumit. Habent hi (inquit) ſuos milites & armata ſatellitum turba ſtipati incedũt, quod ſi quid illis periculi imminet, mox ad arma cõcurrunt, proq; illis pugnant, ne quid ab hoſtibus patiantur. Si itaq; regnum meum ex hoc mundo eſſet, aut tale quid affectarem, vtiq; mihi etiam miniſtros & ſatellites parauiſſem, qui pro me certarent, & qui nunquam paſſi fuiſſent me ſine aliquo publico*

mo-

motu à Iudæis capi & tibi tradi ad capitis ſupplicium luendum. At nihil huius factum eſſe conſtat, neque aliquis meorum reperitur, qui tale quid tentet. Quis ergo non videat regnum meum non eſſe hinc, & proinde mihi iniuriam fieri ab ijs, qui me rebellionis & ſeditionis accuſant? Eſt hæc prima reſponſionis Chriſti pars, qua crimen ſibi intentatum diluit. At Pilatus regni mentionem fieri audiens, argumentum à Coniugatis ducit & infert: Itaque rex tu es? Quaſi diceret. Quiſquis regnum habet, idem etiam rex eſt. Cùm igitur regnum te habere dicas, rex ſis oportet, qualecunque ſit illud tuum regnum, de quo nunc diſputare nolim. Hîc ergo Dominus modeſtè fatetur, quod Pilatus rectè collegerat. Tu (inquit) dicis quòd rex ſum ego, & non ineptè argumentaris. Mox verò alteram ſuæ reſponſionis partem proponit, quæ ampliorem huius quæſtionis declarationem cõtinet, omnemq́; regni ſui vſum atque finem exponit. Dicit enim: Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium dem veritati. Id eſt, Veritatis rex ſum, neq; alium mei regni & adminiſtrationis finem mihi propoſitum habeo, quàm vt veritas regnum obtineat, & abolita tenebrarum atque mendacij tyrannide illam omnes colant eiq́; ſeruiant. Et quia Pilato mirum videri poterat, ipſum pleriſque inuiſum atque exoſum eſſe, qui quoad cætera innocens, ſolius veritatis cauſam ageret, hîc quoque omnem ſiniſtram ſuſpicionem diluit, addens: Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meã. Quaſi diceret, Non offendat te, quòd hoſtes & aduerſarios habeam plurimos, & quidem eos, qui authoritate publica excellunt & ſacrorum antiſtites ſunt. Quia enim regnum hoc meum (vt dixi) non eſt ex hoc mundo, ſed cœleſte & ſpirituale eſt, nunquam ſe illi ſubijcient, qui huius mundi ſpiritu & prudentia reguntur: ſed ex veritate regenerentur oportet qui huius ciues fieri voluerint: & hi ſoli vocem ſiue doctrinam meam audiunt, & huic ſeſe regendos præbent. At qui nam & quales ſint Pontifices illi noſtri & quotquot ab eorum authoritate pendent, facilè videbunt qui ipſorum mores atq; ingenia propius inſpexerint. Non mirum itaque aut inſolens eſt, quòd me perſequuntur & doctrinam meam extinctam volunt. Et hic quidem colloquij iſtius & tractationis ſenſus eſt, qua Chriſtus Ieſus ſibi intentata crimina purgauit, & omnem ſui regni conditionem expoſuit. Eſtq́; in eius exemplo diligenter obſeruandum, quòd etſi mortis ſupplicium, cui ipſum pater deſtinauerat, volens ſubierit, diligentiſsimè tamen confutat affectati regni calumniam. Non ergo peccant in patientiæ Chriſtianæ leges, qui hodie etiã ad calumnias hoſtium reſpondent & ex illis enatas in multorũ animis ſuſpiciones diluunt. Fecerunt hoc olim prophetæ, & quidem magna cum grauitate, vt Eliæ, Ieremiæ, aliorumq́; exempla teſtantur. Idem apoſtolos etiam & ſanctos martyres factitaſſe ſcimus. Et vt id fiat interdum opus eſt. Quia enim in pijs ipſa veritas oppugnatur, adeoq́; per illorum latus ipſe Chriſtus petitur, cuius regnum & doctrinam impij euertere ſtudent, cauendum omnino eſt, ne illa propter nos in ſuſpicionem veniat, & cùm ad omnia ferenda nos paratos eſſe deceat, nihil tamen patienter ferri debet, quod cum gloriæ Chriſti & publicæ ſalutis detrimento eſt coniunctum. At quia de his dicendi locus ſæpe occurrit, nunc quod præcipuum huius tractationis caput eſt excutiendum erit, vt regni Chriſti conditionem probè cognoſcamus.

Chriſtus Rex eſt.

Hîc autem primò obſeruari debet, quòd regnum ſibi non obſcurè tribuit, & ſe regem eſſe diſertè fatetur. Talem vbiq; deſcribunt ſacræ literæ, & talem ipſa Meſsiæ vox eſſe docet. Dauid certè in Pſalmo ſecundo patrem de filio Chriſto ſic loquentẽ inducit: Ego conſtitui regem meum ſuper Zion montem meum ſanctum. Et de ipſo intelligi debere, quæ Pſal. 45. 72. & multis alijs ſub regis perſona proponuntur, inde patet, quòd de nullo alio exponi poſſunt. Qualia ſunt: Solium tuũ in ſempiternum ſtabit ô Deus: Ferent montes pacem populo, & colles iuſtitiã. Timebunt te dum ſol & luna lucebunt, in omne æuum. Imperabit à mari vſq; ad mare, & à flumine vſq; ad terminos terræ. Adorabunt eum omnes reges, omnes gentes ſeruient ei. Nomẽ eius perpetuò celebre erit, dũ ſol luxerit propagabitur nomẽ eius, & beatos ſe in eo cenſebũt omnes populi, &c. Et huius generis multa apud prophetas inueniuntur, quæ ne per Hyperbolen quidẽ de vllo quantùmuis victorioſiſsimo rege poſſunt intelligi, in Chriſto autem Ieſu verè impleta ſunt. In nouo autẽ teſtamento admodum memorabile eſt, quod archangelus Gabriel virgini matri de illo dicit: Dabit illi Dominus Deus ſolium Dauid patris ſui, regnabitq́; ſuper domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Adde his quod iam diſceſſurus è terris dixit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Non autem iſta inanibus modò titulis de Chriſto prædicantur, ſed idem ille omnia boni & fidelis regis officia ſedulò

obit atque exequitur. Suos enim ex peſtifera diaboli tyrannide aſſeruit, iiſdem leges dedit vere ſalutiferas, ſuos item tuetur, donis ampliſſimis ornat, & olim iudex omnium hominum in nubibus cœli veniet, vt ſingulis digna factis ipſorum præmia retribuat. Verè ergo rex regum eſt Christus, & dominus dominantium. Multùm autem prodeſt talem agnoſcere, inq; eius contemplatione indefinenter verſari. Ita enim aduerſus regum huius ſeculi minas atque conatus confirmabimur, & quæuis pericula intrepidi ſuſtinebimus. Cur enim reges mortales metuant, qui Chriſto rege nituntur, penes quem cœli & terræ eſt imperium? Deinde in tentationibus & in extremo mortis articulo hoc nobis conſolationem dulciſſimam affert, ſi nos regem in cœlis habere cogitemus, qui nos & hîc tueri, & quando ipſi viſum fuerit in regni ſui conſortium recipere poſſit. Latroni certè olim hoc vnicum ſalutis præſidium fuit, quòd in cruce pendenti dicebat, Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum. At quantò maiori cum fiducia nos dicere poſſumus, Memento noſtri Domine, qui deuicta morte & inferis iam in cœlis regnas? Rurſus plurimùm momenti hoc ad vitæ morumq; innocentiam conferet, ſi nos nos in tanti regis conſpectu viuere cogitemus, quem nihil latet, & ad cuius tribunal omnes olim ſiſti oportebit.

Quale ſit Chriſti regnum.

Secundò quale ſit Chriſti regnum ſcire oportet. Id verò ipſe ex hoc mundo eſſe negat. Vbi obſeruabis, eundem non negare regnū ſuum in hoc mundo eſſe. Eſt enim (vt modò diximus) illi data poteſtas in cœlo & in terra, & eundem ſuæ eccleſiæ regem eſſe conſtat, quæ in terris hiſce peregrinatur. Quin in eo elucet inuicta regis noſtri potētia, quòd in hoc mundo ſibi inimiciſſimo, & (vt Dauid vaticinatus eſt) inter medios hoſtes regnum obtinet. Quàmuis autem in mundo regnum habeat, illud tamen non eſt ex hoc mundo, id eſt non mundanum aut terrenum eſt, neque ea eſt illius, quæ regnorum huius ſeculi, conditio. Illa enim ſua habent initia & terminos, adeoq; certis quaſi vicibus oriuntur & occidunt: at Chriſti regnum æternum eſt, vt modò ex Gabrielis archangeli verbis didicimus. Deinde regna huius mundi humanæ prudentiæ conſilijs gubernantur, illud autem euangelij doctrina regitur, quæ mundo extrema ſtultitia putatur. In mundi regnis tributa, cenſus, vectigalia colliguntur, at nihil horum à ſuis Chriſtus exigit. Illa ſplendore externo, aulicorum ambitioſo cultu & inſano ſtrepitu ſuam maieſtatem oſtentant: in Chriſti autem regno ſub crucis vexillo paupertas & humilitas triumphant. Illa armis propagari & defendi ſolent, hoc verbi prædicatione, ſpiritus virtute & ſanguine martyrū retinetur. In illis ſi quid periculi imminet, omnes arma ſumunt, quibus regem ſuum tueantur: ſed in Chriſti regno fidei conſtantia & patientia vincitur. Imò etiam hîc infelix hominum peruerſitas, qui cùm pro rebus leuiſſimis quotidie inter ſe digladientur, in ſola Chriſti cauſa tuenda ignauiſſimi ſunt & omne periculum detrectant. Vides ergo non temere à Chriſto dictum eſſe, quòd regnum ipſius non ſit ex hoc mundo. Seruit autē hæc conſideratio multum noſtræ inſtitutioni. Primò enim admonet, ne ſub Chriſti & religionis Chriſtianæ prætextu huius mundi bona quæramus, qualia ſunt opes, honores, magnatum amicitiæ, & quæ horum ſimilia habentur, ſed potius ad crucem ferendam nos præparemus. Nam vt Chriſti regnum non eſt ex hoc mundo, ita non ex mundo ſunt amplius quotquot illum vera fide amplexantur. Quò etiam referri debet quod Capite decimo quinto dixit diſcipulis: Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum eſt amaret: quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus. Deinde diſcimur non indignius ferre, ſi in perſecutionum periculis neminem habeamus, qui cauſam noſtram tuendam ſuſcipiat, vel etiam ab iis deſeramur, qui hoc nobis ex officio debebant. Idem enim regi & domino noſtro Ieſu Chriſto accidit, quem vnus ex diſcipulis prodidit, alij verò in periculo conſtitutum deſeruerunt, & cui præſes Pilatus ſuum quoque patrocinium negauit, ne Iudæorum odium incurreret, vt ſuo loco videbimus. Imò qui hoſtes Chriſti nuper cohorte militum munierat, qui illos in eo capiendo iuuarent, nunc officij ſui immemor legum & publici iuris præſidiū innocenti negat. Quod autem hinc phanatici quidam colligunt, nefas eſſe religionem & eccleſiam Chriſti armis tueri, nimis abſurdum eſt. Nec enim hîc docet Chriſtus quid fieri aut non fieri debeat, ſed quid facere ſoleant plerunq; homines exponit. Neq; hinc generalis doctrina peti debet, quæ magiſtratus prohibeat eccleſiæ defenſionem ſuſcipere. Quia enim Chriſtus horam adeſſe ſciebat, qua ex æterno patris decreto moreretur, & ſuæ mortis merito genus humanum redimeret, impium fuiſſet contra patris decretum armorum præſidio aut etiam legitimi magiſtratus patrocinio vti. Quæ etiam cauſa eſt, quòd cùm Pilatum

latum

latum initiò ſibi ſatis æquum & ad ſe defendendum propenſum videret, eius tamen opera minimè vti voluerit. Interea autem ratum manet Dei mandatum, quo ille reges & principes eccleſiæ nutritios conſtituit, & eoſdem iubet, vt filium exoſculentur atque debitis officijs colant. Neque Pauli factum ſpiritus ſanctus damnat, qui non ſemel Romanas leges adduxit, vt ſeipſum aduerſus vim iniuſtam defenderet, imò centurionis & tribuni opem poſtulauit, armatoq́; militum præſidio ſe defendi paſſus eſt contra eos, qui in ipſius mortem coniurauerant. Non debet ergo exemplum Chriſti extra ſuum ſtatum detorqueri, ſed ea in illo obſeruari debent, quibus in fidei obedientia & patientia Chriſtiana confirmemur. Et ſi quando pericula imminent, Deo nos cōmittamus, qui ſi ita opus ſit, facilè excitabit aliquos, qui nos & publicā fidei cauſam tueantur: quod olim eū feciſſe, Conſtantini Theodoſij & ſimilium hiſtoriæ docent. Quòd ſi nullos ex hominibus det nobis vindices atq; tutores, tunc huius dicti memores non offendamur, feramus autem patienter mundi totius perfidiam, quam olim ipſe Dei filius propter nos perpeſſus eſt: & interea ſoletur nos, quòd etſi nos ſolos relinquat mundus, ſoli tamen non ſumus ſed Deum habemus protectorem, qui nos ſupra vires tentari nō ſinet. Habet præterea hic locus dulciſſimam conſolationem, qua fidem noſtrā in publicis & vniuerſalibus perſecutionum periculis confirmemus, ſi quando totus mundus in noſtram perniciem conſpirauiſſe videtur. Quia enim regnum Chriſti non eſt ex hoc mundo, nullis etiam mundi armis expugnari aut euerti poterit: quod multorum ſeculorum exemplis ita probatum eſt, vt prolixiori demonſtratione nunc non ſit opus. Citius certè Solem è cœlo detrahent homines, quàm Chriſtum è throno ſuo deturbent, in quo illum in æternum vſque regnaturum eſſe omnes ſcripturæ teſtantur. Poſtremò diſcimus hic iudicare de Romanis Pontificibus, qui ſe Chriſti in terris vicarios eſſe iactant. Clamat enim hîc, Regnum meum non eſt ex hoc mundo. Illi verò huius mundi regna ſibi vendicant, eadem pro ſuo arbitrio transferunt, principes ad pedum ſuorum oſcula cogunt, adhæc faſtu & magnificentia reges maximos ſuperant, & omne præſidium in armis huius mundi collocatum habent. Non ergo Chriſti Ieſu, ſed eius potius vicarij ſunt, qui olim Chriſto mundi huius regna & eorum magnificentiā oſtendens dicebat: Hæc omnia tibi dabo, ſi proſtratus adoraueris me. Quod enim Chriſtus tunc facere renuit, illi ſedulò faciunt, dum ſuperſtitiones & idololatriam non modò ipſi exercent, verumetiam non ſine multa ſanguinis effuſione tuentur, & quibuſuis obtrudere ſatagunt. Sed de his plura alibi.

Finis regni Chriſti.

Nunc tertium huius tractationis caput videamus, quo Chriſtus ſui regni finem indicat. Ego (inquit) in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium dem veritati. Vbi inquirendum erit, quæ nam illa ſit Veritas, de qua in præſenti agitur. Sunt enim in natura rerum multa veritatis genera: quæ quia non opus habent Dei filio, illud inueſtigari oportet, cuius ergò ille in mundum venit. Patebit hoc, ſi humani generis conditionē inſpiciamus, quæ nobis ex primo parente quaſi hereditario iure obtigit. Quia autem ille per tranſgreſſionem peccati mancipium factus eſt, poſteros quoq; omnes ſui ſimiles progenuit. Fuimus ergo omnes ſub poteſtate tenebrarum (ſicuti de gentibus Paulus ſcribit) quarum princeps eſt diabolus, qui ab ipſo Chriſto pater mendacij dicitur. Hîc verò noſtri miſertus Deus, in ipſo ſtatim exordio mundi redemptorem promiſit, ſemen mulieris nimirum, cuius virtute & merito caput veteris ſerpentis conteri & genus humanum ab interitu aſſeri oporteat. Quam promiſſionē poſtea cum patriarchis agens ſæpius confirmauit, per Moſem verò typis & ſignis innumeris obſignauit, tandem prophetas dedit, qui illa vaticinijs pluribus & copioſis illuſtrarunt. At quod veteribus promiſſum & typis ſeu figuris legalibus adumbratum fuit, hoc in Chriſto Ieſu verè præſtitit & reipſa exhibuit Deus, & ita (ſicuti primo Capite Ioannes dixit) lex quidem, quæ figuris & vmbris conſtabat, per Moſem data eſt, gratia autem & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Venit ergo in mundum hunc Dei filius & ex virgine matre homo natus eſt, vt promiſſionum Dei veritatem impleret, & promiſſam humani generis redemptionē perageret, noſq́; ereptos ex tenebrarū poteſtate transferret in regnum Dei, in quo ſempiterna veritatis lux animos irradiat. Et ne tantum beneficium nobis ignotum eſſet, inſuper de illo publicè doctrina ſimul atque miraculis teſtari debuit. Ideo ſe ad euangelizandum quoq; veniſſe dicit: quod vt ipſe fideliter fecit quàm diu in terris verſatus eſt, ita deinde apoſtolos emiſit, qui hanc æternæ veritatis doctrinam toti orbi prædicarent. Debet huc referri quod Ioannes in Canonica ſua Capite quinto ſcribit: Scimus quòd filius Dei venit, & dedit nobis mentem, vt cognoſcamus illum qui verus eſt. Item illud Pauli

ad Epheſios quarto: Vos non ita didiciſtis Chriſtum, ſi modò eum audiſtis et per eum edocti ſuiſtis, ſicut eſt veritas in Ieſu: Nempe deponere quod ad priſtinam conuerſationem attinet veterem illum hominē, qui deceptricibus cupiditatibus corrumpitur: renouari verò ſpiritu mentis veſtræ, &c. Et hoc illud myſterium eſt, quod à ſeculo abſconditum nouiſsimis demum temporibus reuelari debuit, vt non vno loco Paulus apoſtolus annotat. Facit autem hoc plurimùm ad noſtræ ſalutis certitudinem. Eſt hæc fundata in promiſsionibus Dei patris, teſtem verò vel potius executorem habet Dei filium Ieſum Chriſtum, qui ipſiſsima eſt veritas & vita. Nunquam ergo fallentur, quicunque illum amplexi fuerint, & quàmuis aduerſa multa ſuſtineant, certa tamen & inconcuſſa ſtabit ſalutis fiducia, quæ æterno Dei filio nititur.

Ciues regni Chriſti.

Reſtat poſtremum caput, quo regni ſui ciues Chriſtus deſcribit ſic dicens: Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam. Ex veritate ſunt electi, quos alibi Dei filios ſcriptura vocat. Ideo ſupra Chriſtum dixiſſe audiuimus, Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: quibus verbis omnino conſentit quod hîc dicitur, & quod alibi de ouibus vocem eius audientibus habetur. Ioan. 10. Ita autem in præſenti loquitur, vt oſtendat nos ad tantam dignitatem non proprijs viribus aut noſtrapte induſtria aſcendere, ſed regeneratione opus eſſe, cuius ſemen eſt (vt Petrus ſcribit) æternum illud & immortale Dei verbum, quo veritas æterna nobis prædicatur. Obſeruauit hoc diligenter D. Auguſtinus, cuius verba recitare non pigebit propter eos, qui nos hodie nouum quid & antea inauditum docere putant, quando ſalutis humanæ fontes in ſola Dei gratia monſtramus, qui nos abſq; vllo noſtrorum operum reſpectu elegit priuſquā mundus hic crearetur. Audiant ergo iſti Auguſtinum in hæc Chriſti verba ſic ſcribentem: Gratiam commendauit, quæ ſecundum propoſitum vocat: de quo propoſito dicit Apoſtolus, Scimus quòd diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundùm propoſitum Dei vocati ſunt: propoſitum ſcilicet VOCANTIS, non VOCATORVM. Quod alibi apertius ita poſitum eſt: Collabora euangelio ſecundùm virtutem Dei ſaluos nos facientis & vocantis vocatione ſua ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm ſuum propoſitum & gratiam. Nam ſi naturam cogitemus, in qua creati ſumus, cùm omnes Veritas creauerit, quis non eſt ex Veritate? Sed non omnes ſunt, quibus vt audiant veritatem (hoc eſt, vt obediant veritati & credant in veritatem) ex ipſa Veritate præſtatur, nullis procul dubio præcedentibus meritis, ne gratia non ſit gratia. Si enim dixiſſet, Omnis qui audit meam vocem ex veritate eſt, ideo dictus ex veritate putaretur, quia obtemperat veritati. Non autē hoc ait, ſed ait, Omnis qui eſt ex veritate, audit meam vocem: ac per hoc non ideo eſt ex veritate, quia eius audit vocem: ſed ideo audit, quia ex veritate eſt, id eſt, quia hoc illi donum ex veritate collatum eſt. Quod quid eſt aliud quàm DONANTE CHRISTO credit in Chriſtum? Hæc Auguſt. qui his verbis non tam ſuam quàm communem veteris & orthodoxæ eccleſiæ ſententiam expoſuit. Et huic conſentit ipſe Dominus, quando ſalutis noſtræ principium in regeneratione conſtituit, quam nobis oporteat ex ſupernis obtingere. Interim docet nos locus iſte iudicare de apertis euangelij hoſtibus, qui Chriſti vocem non modò non audiunt, verumetiam hoſtiliter oppugnant. Non ſunt hi ex Veritate, ſed ex mendacio, cuius pater eſt diabolus, & proinde huius ingenium referunt. Quomodo enim lucem veritatis ferant, qui principis tenebrarum filij ſunt, & peſsimorum ſuorum ſtudiorum opera tenebris occultare cupiunt? Neminem ergo iſtorum mores offendant, ſoletur nos potius quòd hoc nunquā impune facient, & olim, velint nolint, audire cogentur Chriſti vocem, qui illos æternis inferorum ſupplicijs addicet. Nos autē diligenter obſeruemus, quid ab ijs requirat Dominus, qui regni ſui ciues eſſe & illius priuilegijs frui volunt. Audiant vocem eius in euangelio ſonantem: neq; audiant modò, ſed etiam credant, & veritati dent teſtimoniū. Fiet hoc ſi illum publicè fateantur eum eſſe, in quo veteres typi cum prophetijs & promiſsionibus ſalutis impleti ſunt, regem item & ſacerdotem eccleſiæ vnicum, ſeruatorem & mediatorem, qui ſolus nobis ad thronum gratiæ aditum parauerit. Hæc autem non verbis modò profiteri, ſed per fidei obedientiam reipſa teſtari oportet, dum vitæ noſtræ actiones omnes ſecundùm doctrinæ & præceptorum eius regulam inſtituimus. Ita fiet, vt ſub Chriſti Ieſu regis noſtri protectione vitam in hoc mundo tranquillam viuamus, huius autem curſum emenſi cœleſtis regni hæreditatē accedamus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

H 6

## HOMILIA CLXIIII.

**Dicit ei Pilatus: Quid eſt ueritas? Et cùm hoc dixiſſet, rurſus exiuit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullum inuenio in eo crimen. Eſt autẽ conſuetudo uobis, ut unum dimittã uobis in Paſcha. Vultis ne ergo dimittam uobis Regem Iudæorũ? Clamauerunt ergo rurſum omnes, dicentes: Non hunc, ſed Barrabam. Erat autem ille Barrabas latro.**

*QVoniam omnes prophetæ Ieſum Chriſtum prædicarunt, & hunc regem æternum & inuictũ fore docuerunt, non ſalutare modò, ſed neceſſarium quoq; eſt, vt qualis ſit Rex ille intelligamus, & omnem regni eius ſtatum probè conſideremus. Solet enim caro regni & regis mentione audita, mox terrenum quid ſomniare, & ſibi quoad hoc ſeculum omnia læta polliceri. Quòd ſi autem ſpe ſua fallatur, offenſa de tota ſalutis per Chriſtum acquiſitæ ratione dubitare incipit. Debet ergo diligenter teneri doctrina, quam ipſe nuper coram Pilato de regni ſui conditione tradidit. Primum eius caput eſt, quòd regnum ſuum non ſit ex hoc mundo. Ergo non debent in illo quæri bona huius ſeculi, neque nos offendi decet, ſi nos propter illud mundo inuiſos & exoſos eſſe ſentiamus. Deinde finem eius oſtendit, quòd veritatis ergò in mundum venerit: vt nimirum quæ olim Deus promiſerat, & quæ typis legalibus fuerunt adumbrata, ipſe nobis præſtaret, noſque ex regno tenebrarum atque mendacij transferret in regnum veritatis, in quo Deum in ſpiritu & veritate colamus. Præterea inter ciues regni ſui eos aſcribit, qui ex æternæ veritatis ſemine renati, ipſius vocẽ audiunt, et fidem ſuam officijs obedientiæ teſtantur. Continentur his ferè omnia, quæ de ſalutis noſtræ negotio dici poſſunt, & nobis ad hanc conſequendã cognitu neceſſaria ſunt. Audiamus nunc, vt hanc doctrinam Pilatus acceperit, & quàm parum ea ſit emendatus. Vbi diſcemus, qui ſint filiorum huius ſeculi mores, & quibus Labirynthis ſeipſos implicent, qui ſimplicem veritatis doctrinam ſequi dedignantur.*

Pilatus Veritatis mentionem indignè excipit.

*Quoad Pilatum, fuit is quibuſdam virtutibus politicis & moralibus præditus, ſed quia idem à veri Dei cognitione alienus fuit, nihil apud illum profecit Chriſti doctrina. Reſpondet enim, Quid eſt Veritas? neq; expectato reſponſo Chriſti, mox ſe foras proripit, ſuo nimirum conſilio rem hanc executurus, & vt ſemel abrumpat diſputationem, quam ille inextricabilem eſſe putabat. Vnde apparet, illum non vt diſceret quæſtionem mouiſſe, ſed quòd Chriſtum contemnendi & ridendi occaſionẽ ſibi oblatam arbitraretur in hæc verba erupiſſe. Vel potius faſtidium quoddam & animi indignationem, quæſtio hæc & illius ſubitus ex Prætorio exitus præ ſe ferunt. Quia enim ſe veniſſe dixerat Chriſtus, vt veritati teſtimonium ferat, neq; alios hoc eius teſtimonium audire, quàm qui ex veritatis verbo renati ſunt, facilè intelligit Pilatus, totum mundum ignorantiæ & errorum atq; mendacij damnari, Chriſtum verò ſibi hoc tribuere, quòd veritas per ipſum illuceſcere debeat, & quòd in erroribus & mendacijs pereant, quotquot ipſum non audiunt. Dolet igitur iſtud animo ambitioſo, & ſimul hanc veritatis profeſſionem prophano contemptu ridet. Itaq; ſic dicere videtur: An ergo te ſolum veritatem nouiſſe putas? an ſolus tu ſapis, & reliquis omnibus in errorum caligine conſtitutis ſolus quod verum eſt vides? Quid verò abs te ſtultius fieri poterat, quàm tale quid tibi arrogare, & inſuper propter veritatis profeſſionem teipſum omnium odijs exponere & tantum periculum ſubire? Quis enim de veritate certiorem te reddet inter tot tamq; diuerſas de Deo & eius cultu deq; ſummo hominis bono ſententias, quibus mundus hic ſcinditur? An neſcis omnium ſectarum duces veritatis notitiam profiteri, & alios pro cæcis & ignorantibus contemnere? Vel, an tibi non ſatis eſt, Iudæos diuerſam à reliquis gentibus religionis formam ſequi (quod illis hucuſque per Romanos ex priuilegio quodam licuit) niſi tu nouæ ſectæ author ſis, qua & illi & gentes omnes damnentur? Quin potius omiſſis hiſce cogitationibus, eam ſequeris cultus diuini formam, quam inter tuos vulgò receptam eſſe vides, & quæ nullo cum periculo coniuncta eſt? Hic mihi verborũ Pilati ſenſus eſſe, & hæ in prophano animo cogitationes obortæ fuiſſe videntur cùm iſta diceret.*

Vt ueritatis doctrina filij huius ſeculi afficiantur.

*Admonemur nos hoc exemplo, vt veritatis doctrina affici ſoleant filij huius ſeculi, quos Dei ſpiritus nondum illuminauit. Sentiunt quidem illius aculeos in corde ſuo, & ſuos errores atq; ignorantiã perſtringi intelligunt. Ea enim veritatis vis eſt, vt illis inuitis quoq; & reluctantibus animos pe-*

netret, & vitia quæ diu latuerunt arguat. Illi verò aut ſuperbi nimis ignorantiam ſuam, cuius ſibi probè conſcij ſunt, nolunt argui, multò minus eam fateri volunt: aut toti carnis & huius mundi ſtudijs addicti vel immerſi, omnes de religione diſputationes ſuperuacaneas eſſe arbitrãtur, et ideò extremæ ſtultitiæ eos accuſant, qui propter illam cum aliquo contendunt, aut periculum aliquod illius cauſa ſubeunt. Vtriuſq; generis exempla paſſim occurrũt. Scimus enim inter gentes, eos, qui religioſiores erant, Apoſtolis & horũ ſucceſſoribus hoc argumento imprimis ſeſe oppoſuiſſe, quòd ipſis abſurdum & impoſſibile videretur, maiores ipſorũ tot ſeculis errauiſſe, & eam religionẽ falſam eſſe, quæ orbis totius cõſenſu probaretur, & quam Dij ipſi (quemadmodũ ipſi loquebantur) fauore ſuo & infinitis beneficijs confirmaſſent. Hinc illi Epheſiorũ clamores pro ſua Diana aduerſus Paulum prædicantium. Hinc etiam ſua argumenta petierunt Demetrianus, Symmachus & alij horũ ſimiles, quibus à Cypriano, Auguſtino, Ambroſio et alijs patribus grauiter reſponſum eſt. E cõtra qui æquiores & animo moderatiori erãt, illis ridiculũ videbatur propter religionẽ tumultuari, et Christianæ fidei propugnatores cõmiſeratione potius quàm ſupplicio dignos putabant, qui ſua opinione decepti pro incerta & dubia ſeſe omnium odijs & tantis periculis exponerent. Ex horum numero poſt Pilatum Feſtus fuit, qui Paulo de fidei myſterijs & Chriſti morte atque reſurrectione coram Agrippa rege concionanti occlamabat: Inſanis Paule, multæ te literæ ad inſaniam conuertunt. Talis etiam Plinius Secundus fuiſſe videtur, cuius ad Traianum Imperatorem epiſtolæ extant, quibus de Chriſtianorum innocentia, quoad crimina quæ illis aduerſarij obijciebant, teſtatur quidem, de ipſorum verò religione & fide ſatis contemptim loquitur, vt in homine ingenij humanioris animum tamen profanum facilè agnoſcas. Similiter quotquot ex philoſophis meliores & modeſtiores reliquis fuerunt, Chriſtianos riſu potius quàm odio proſequendos putarunt: quàmuis ex his quidam ad maiorem impietatem tandem progreſſi non abſtinuerunt à conuitijs: ex quorum numero Lucianus ille impiſſimus omnis religionis inſectator fuit. Hodie autem vtrumq; hoc genus hominum vbiq; auditur. Qui enim veteres ſuperſtitiones propugnare et mordicus retinere inſtituerunt, hi tam ſeipſos quàm maiores noſtros alicuius erroris inſimulari iniquiſſimè ferunt, & ne ignorantes videantur, ſcripturas ſacras oppugnant: quaſi tolerabilius ſit in illis loquentem ſpiritum ſanctum reprehendere, quàm manifeſtos & longo vſu confirmatos errores fateri. Alij verò, qui omnem religionis ſenſum iam prius ex animis ſuis eiecerunt, non nos modò ſtultitiæ damnant, qui propter incertas opiniones cum aliis litem ſuſcipiamus, ſed impudenti ſcurrilitate Dei verbũ eludunt, ſcripturarum fidem eleuant, inferos ſimul & cœlos cumq́ue his omnem vitæ futuræ ſpem apertè negant. Et hos quidem omnes ad veritatis cognitionem venire impoſſibile eſt. Quia enim Chriſtus humilium eſt doctor, qui ſe eius magiſterio animis contritis ſubijciunt, tales in ſuam ſcholam non admittit: quin potius eos & iuſto iudicio excæcat, vt in ſuis illis perſuaſionibus malè pereant, vt digni ſunt. Diſcant vero

Chriſtianæ religinis certitudo.

ſinguli ſibi cauere, neque audiant eiuſmodi hominum rationes, quas ex carnis ſenſu proferunt. Etſi enim propter varias & diuerſas de religione hominum ſententias nihil illa incertius eſſe videatur, Chriſtiana autem religio ſapientibus huius ſeculi putetur abſurdiſſima eſſe, eò quòd in homine crucifixo ſpem ſalutis collocet, eadem tamen nihil certius aut infallibilius inuenietur, ſi rem ipſam probè inſpiciamus. Nititur enim æterno Dei decreto, qui hanc ſalutis humanæ rationem conſtituit, priuſquam mundi fundamenta iacerentur. Teſtimonium verò habet in ſcripturis ſacris, quarum veritas & fides infinitis argumentis probari poteſt. Conueniunt enim cum natura rerum & communi ſenſu, quæcunque in illis traduntur. Eædem hiſtoriam totius mundi à prima rerum origine continent certa temporum ratione & ſerie confirmatam: qualis apud nullos alios ſcriptores habetur. Promiſſiones verò & prædictiones nemo poteſt in dubium vocare, cùm tot impletæ ſint, & ex ijs certum poſſit ſumi argumentum de reliquis, quæ de fine mundi, mortuorum reſurrectione & reliquis prædicta ſunt, quæ ſuo etiam tempore complebuntur. Quibus omnibus accedit Dei Opt. Max. authoritas, qui libros ſcripturæ ſacræ in hunc vſque diem admirabili conſilio ſeruauit, & in omnes linguas transferri curauit, vt nullis vnquam tyrannorum conatibus potuerint aboleri. Atqui omnes iſti conſenſu vnanimi de Chriſto Ieſu teſtimonium ferunt, & hunc humani generis vnicum redemptorem eſſe docent. Quòd ſi ſigna quæras, nullum vnquam doctrinæ genus tam multis tamq́ue euidentibus & ab omnis doli ſuſpicione alienis confirmatum eſt,

quàm

quàm noſtrum hoc, quo fides in vnũ Ieſum Chriſtum traditur. Et vt multa omittamus, quæ à Chriſto in terris agente & ab Apoſtolis horumque ſucceſſoribus cum totius orbis admiratione facta ſunt, quis non diuinæ virtutis opus in eo agnoſcat, quòd religio noſtra inter multiplices hoſtium aſtutiſſimorum inſidias & nefarios tyrannorum crudeliſſimorum conatus mirabiliter conſeruata eſt in hunc vſque diem, & hodie etiam magis atque magis indies propagatur, multùm reluctantibus ferè omnibus, qui in mundo potentia & exiſtimatione præclari habentur? Neminem ergo impiorum hominum ludibria & ſophiſmata moueant, quibus illi noſtræ religionis fidem eleuare conantur. Sentient illi aliquando magno ſuo malo, quæ ſit Veritas illa, quam nunc odioſè & ſcurriliter nimis proſcindunt.

Pilatus non iure, ſed artibus agit.

Redeamus nunc ad Pilatum, qui etſi animo à religione alieno ſit, Chriſtum tamen commiſeratione potius quàm ſupplicio dignum exiſtimat, & proinde eius ſeruandi conſilium inire incipit. Quia verò vulgi furorem accenſum videt, periculum autem nullum ſubire decreuit pro ſalute hominis innocentis, non legibus aut iure agit, neque authoritatem ſuam qua decebat grauitate interponit, ſed ad artes conuertitur, quibus populi inuidiam atque odium declinet. Et primò quidem (vt Lucas annotauit) cùm Galilæum eſſe comperiſſet, ad Herodem regem Galilææ, qui tunc ob feſti celebritatem Hieroſolymis agebat, eum tranſmittit. Vbi nouam actionem aduerſus eum ſacerdotes inſtituunt, non autem maiori cum ſucceſſu, quàm prius coram Pilato fecerant. Nam Herodes quoq; nihil in eo deprehendit, quod ſupplicium mereatur, & quàmuis ipſe etiam riſu dignum iudicet eiq; turpiter illudat, non tamen ſine luculento innocentiæ teſtimonio ad Pilatum remittit. Qui primum conatum non ſucceſſiſſe videns, ex re præſenti conſilium petit, cuius hîc fit mentio. At quia eius rationem in Marco iam ante expoſuimus, eandem hîc repetere non eſt opus. Obſeruemus nunc, Pilatum, dum artibus potius quàm legibus agit, nouum iniuſtitiæ exemplum edere. Quem enim innocentem eſſe ſciebat, non abſoluit, ſed cum alio facinoroſo & ſcelerato homine confert, vt vulgi fauore atque beneficio ſeruetur, quem non putabat adeò impudentem fore, vt latronem innocenti & optimè de multis merito anteponeret. Quid enim hoc aliud erat, quàm inſontem publica ignominia notare? quod viris grauibus & honeſtis ſupplicium eſt ipſa morte acerbius. Solet ita euenire ijs, qui in officio faciundo minus fortes & conſtantes ſunt: vt nimirum leuius peccatum fugiendo in grauius incidant. Et ſimul in Pilato exemplum proponitur, in quo principum & magnatum mores agnoſcere diſcamus. Habent illi interdum aliquam veritatis lucem, & quid ipſos facere deceat probè norunt. At ijdem veritatem non tanti faciunt, vt pro illius ſectatoribus aliquem laborem aut periculum ſuſcipere velint, quæ cauſa eſt, quòd ſuo patrocinio eos deſtituunt, qui illo maximè opus habebant. Eſtq; hoc magnum peruerſi ingenij argumentum, quòd qui propter res nullius momenti ſeipſos & ſuæ fidei concreditos quotidie nouis laboribus & periculis implicant, ferè ignauiſſimi ſunt, ſi quid pro religione & iuſtitia, vel etiam pro publica ſalute eſt audendum. Et hoc ingenio Pilatum præditum fuiſſe, multa eius facta teſtantur. Quàm facilè enim Iudæos contempſerit, ex eo apparet, quòd Galilæos inter ipſa ſacra aggreſſus, ſanguinem illorum cum victimarum ſanguine miſcuit, quòd item Cæſaris imagines in templo collocans ſeditionem excitauit, quæ multis exitio & mox alterius quoque motus author fuit, quando pecuniam ſacram in aquæductum inſumpſit. Quid? quòd in hac ipſa actione ſibi non temperat à petulanti Iudæorum irriſione, quando Ieſum ſubinde illorum Regem dicit, cuius odio illos tam ardenter flagrare videbat. Nunc autem cùm de hominis innocentis ſalute agitur, neminem illorum offendendum eſſe putat, & hoc quaſi beneficio reliquas iniurias ſarcire decreuit. Fiunt huius generis multa inter huius ſeculi magnates, qui non rarò bonorum virorum capitibus perinde vt talis aut teſſeris ludunt, vt ſibi inuicem rem gratam faciant. Sic olim in Romana republica libertatis patriæ oppreſſores Triumuiri, Auguſtus, Antonius & Lepidus, amicorum indignis cædibus inter ſeſe amicitiam ſanciuerunt: quando Auguſtus Antonio Ciceronem, Antonius viciſſim illi Lucium Cæſarem auunculum necandum conceſſit, à Lepido autem Paulus frater ad necem traditus fuit. Et hodie huius generis exempla multa paſſim eduntur, quando Euangelij miniſtri vel carceribus mulctantur, vel in exilium relegantur, aut etiam capite plectuntur ab ijs, qui veritatis non omnino ignari ſunt, pacem verò huius ſeculi & impiorum amicitiam illi præferunt. Vides ergo in magiſtratu non ſufficere multarum re-

*rum cognitionem & animi prudentis induſtriam, ſed ingenti iuſtitiæ ſtudio & fortitudine etiam opus eſſe, ne improborum furoribus facilè terreantur atque ſuccumbant. Ideò Dominus per Iethronem illum ſapientiſsimum Madianitarum monebat olim, vt iudicijs publicis præficiantur viri virtutis (vt Hebræi loquuntur) id eſt, ſtrenui & fortes, qui laboribus ſimul atque periculis ferendis poſsint ſufficere. Vehementer autem confirmabuntur iudices, ſi cogitent ſummum iudiciorum præſidem eſſe Deum, qui vt ſe inter illos medium verſari profitetur, ita non deſerit bonos, qui officium ſuum fideliter faciunt, punit autem omnes qui ius publicum euertunt, ſiue id ex ignauia mentis aut aliquo affectu improbo faciunt. Vide Pſalmum 82. Meminerint item nihil profici artibus & conſilijs, quæ contra leges inſtituuntur. Nec enim vllis conſilijs flecti poſſunt, qui animos ſuos aduerſus iuſtitiam & veritatem obſirmauerunt, ideoq́ illos legibus & authoritate publica in ordinem redigi neceſſe eſt.*

Iudæi Barrabã latronem præferunt Chriſto.

*Patet hoc ex euentu conſilij iſtius, quo Pilatus Chriſtum ſeruare voluit. Vbi enim Iudæi illum cum Barraba conferri, ſibi autem quem vellent ſeruandi poteſtatem dari vident, mox vno ore omnes conclamant, & Barrabam quidem ſibi donari petunt, Ieſum verò ad immane crucis ſupplicium poſtulant: quod ex ſuggeſtione ſacerdotum factum fuiſſe, alij Euangeliſtæ ſcribunt. Hic ergo iniquarum compoſitionum exitus eſt, vt impijs impunè euadentibus pij plectantur. Maior enim plerunque eorum eſt numerus, qui affectibus ſuis ducuntur, quàm qui quod rectum & æquum eſt animo ſyncero videant. Nihil ergo à magiſtratu inconſultius fieri poteſt, quàm ſi multitudinis imperitæ iudicio & voluntati permittat, quod ipſe pro ſua authoritate poterat decernere. Id enim perinde eſt, ac ſi pater liberorum arbitrio ſe & familiæ gubernationem permittat, aut equis ad curſum pronis atque laſciuientibus habenæ laxentur. Imprimis autem memorabile eſt leuitatis & inconſtantiæ exemplum, quod in populo Iudæorum proponitur. Qui enim tot tantisq́ beneficijs à Chriſto ornati fuerant, & non ſemel illi dederant luculentum veritatis teſtimonium, nunc omnium odio eum ad mortem depoſcunt, imò latronem ſanguinarium & hominem ſeditioſum illi præferunt. Eſt hoc atrox illud peccatum, quod illis poſtea (vt Actorum tertio Capite Lucas ſcribit) Petrus grauiter exprobrauit, & cuius recordatione quidam toto corde compuncti fuerunt, quos vero Domini timore ſpiritus ſanctus afflauerat. Agnoſcunt hoc in illis plerique, & eos quouis ſupplicio dignos fuiſſe iudicant. Sed quàm multos hodie eſt inuenire, qui eodem cum illis reatu tenentur? Quid enim aliud faciunt, qui vt impiorum Chriſti hoſtium amicitia poſsint frui, fidem in illum vel turpiter diſsimulant, vel apertè negant? Quotquot item ab eius eccleſia potius diſcedere, quàm ſcorta, aleam infamem, vſurarias artes, militiam mercenariam, impoſturas, & alia teterrima flagitia relinquere volunt? Seipſos igitur inſpiciant, & ſuos mores emendent, qui Iudæorum ingratitudinem pœna dignam fuiſſe intelligunt. Deinde ipſum Chriſtum conſiderare oportet, qui hoc modo extremè humiliatus, & (vt Iſaias prædixerat) nouiſsimus virorum factus eſt. Id verò exigebat noſtræ redemptionis & ſalutis ratio, vt nimirum Chriſti humiliatione expiaretur peccatũ, quod primi parentes inuexerant, quando diuinitatẽ ſuperbè affectarunt. Hoc autem omne ad ſuam inſtitutionem & conſolationem ſinguli transferant. Et primò quidem ſuperbiam abominentur, ne faſtu ſuo Chriſtum conculcare, & illi ſuam ignominiã exprobrare videantur, quam ipſe propter nos ſubire dignatus fuit. Soletur præterea nos Chriſti exemplum, ſi quid ſimile nobis accidit. Quod enim primo intuitu ignominioſum videri poterat, id reuera ad Chriſti gloriam plurimùm contulit. Noluit enim illum tam iniquo pretio redimi pater, vt inſtar malefici alicuius ex gratia vulgi ſeruaretur, qui maiori cum gloria innocens damnari poterat. Præterea hac ratione Chriſtus exaltatus, & in patris gloriam ingreſſus eſt: quod fore olim prophetæ prædixerant. Eſt eadem planè piorum ratio. Habent enim ſuæ pietatis teſtimonium ab impio mundo, qui eos perſequitur: & ita ad gloriam illis cedit, quod per ſe ignominioſum videbatur. Huius autem ſeculi ignominia ijſdem ad cœleſtem gloriam aditum ſternit: dum interea impij ex ſuperbo gloriæ huius mundi faſtigio ad inferos deturbantur. Simus ergo fortes in Chriſto Ieſu, qui & in huius vitæ paleſtra certantes ſeruabit, quoad nobis ſalutare fuerit, olim verò huius ſeculi mala æternis & cœleſtibus bonis compenſabit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

CAP.